Princeps agnoſcit ætatis defectum, & nihilominus in delegatum eligit, creditur cum eo diſpenſaſſe. Ludovicus Gomez *in d. c. ſtatutum*, *n.* 17. Moneta *de conſervat. c.* 5. *n.* 159. Barb. *ubi ſupra*. Si tamen in minorem 20. annis partes conſentiant, ut ab inferiore Magiſtratu judex detur, valebit delegatio, *ex d. l. quidam conſulebant*, confirmata hac Gregorii deciſione; nam cum conſenſu partium adeſt ſimiliter auctoritas delegantis, quæ ſupplet defectum ætatis, conſentientibus ipſis litigatoribus. Quare ſingula, quæ non prodeſſent, videlicet delegatio judicis, aut conſenſus partium, conjuncta juvant, inducuntque juſtitiam ipſius delegationis, ut docent P. Barboſa, & Mandoſius *ubi ſupra*.

4 Diſſolvuntur difficultates. Nec obſtat prima difficultas ſupra adducta; nam omiſſa illa ſatis vexata quæſtione, quænam videlicet ætas jure Pandectarum deſideraretur ad judicandum? quam late examinant ultra ſupra relatos Goveanus *in l.* 2. *ff. de juriſdict.* Maſtrillus *de Magiſtr. l.* 2. *c.* 5. Cujacius *in l.* 1. *C. qui ætate*, *l.* 10. Donellus *l.* 17. *comment. c.* 24. Narbona *de ætate*, *anno* 25. *q.* 31. dicendum eſt, in præſenti non agi de judice ordinario, ſed de delegato; unde licet daremus ætatem 25. annorum deſiderari in judice ordinario; non tamen inde infertur, idem obſervandum eſſe in judice delegato. Nec augmentum ipſius difficultatis refragatur; nam illud procedit attento jure novo Bonifacii VIII. poſt cujus deciſionem delegatus, aut conſervator ejus ætatis eſſe debet, quam requirit qualitas illa tribuens habilitatem ad delegati, vel conſervatoris munus; ut ſi quis delegatus, aut conſervator detur, quia Abbas, Archidiaconus, aut obtinens perſonatum in Eccleſia Cathedrali, vel Collegiali, eam ætatem debet habere, quæ ad Abbatiam, Archidiaconatum, talemve perſonatum deſideratur, ut latius proſequitur Moneta *d. c.* 5. *de conſervatorib. n.* 155. Nec tertia difficultas refragatur, pro cujus ſolutione ſciendum eſt, valde controverſum eſſe apud Interpretes, quænam ætas in arbitris præfinita ſit? Aliqui exiſtimant, arbitrum debere eſſe majorem 18. annis: ita Gloſſa *in præſenti*, Blancus *de compromiſſis*, *qu.* 2. *n.* 22. Antonius Gomez *l.* 3. *variar. c.* 1. *n.* 55. Menochius *de arbitrariis*, *l.* 2. *centuria* 6. *caſu* 540. *n.* 40. Calda Pereyra *in l. ſi curatorem*, *verbo hunc contractum*, *n.* 44. *C. de in integrum reſtitut.* & dicunt communem Vivius *l.* 2. *commun. opin. opin.* 506. Goveanus *in l.* 2. *ff. de juriſdict. n.* 8. P. Faber *in l.* 2. *ff. de regul. juris*, alii congeſti ab Oſualdo *lib.* 17. *comment. c.* 24. *littera* G, pro qua opinione expendunt primo præſentem deciſionem, ſecundo textum *in lib. cum lege* 41. *ff. de receptis*, ubi aſſeritur, lege Julia judiciaria cautum fuiſſe, ne minor 20. annis cogeretur arbitrium ſuſcipere: igitur ſi velit compromiſſum acceptare, valet. Tertio & illud argumentum adducunt, nam qui judices dari poſſunt, & arbitri recipi valent; ſed majores 18. annis, licet minores 20. judices eſſe poſſunt, *l. quidam* 57. *ff. de re judicata*, *l. unica*, *ff. de officio Conſulis*, *l. Prætor* 12. *v. Natura*, *ff. de judiciis*, ubi natura tantum impuberes judicare prohibentur, *l.* 1. §. 3. *ff. de poſtulando*, ubi major 17. annis poteſt de jure reſpondere: igitur & arbiter deſignari valet. Sed arbitrum debere eligi eum, qui vigeſimum annum obtineat, docuerunt P. Greg. *lib.* 47. *ſyntagm. c.* 9. *n.* 16. Donellus *l.* 17. *comment. c.* 24. & *in d. l. quidam*, Maſtrillus *de Magiſtr. l.* 2. *c.* 3. *n.* 2. Quam opinionem jure communi inſpecto veriorem reor: nec ea retenta obſtant prioris ſententiæ fundamenta. Non præſens deciſio, quæ procedit in judice delegato ex conſenſu partium deſignato, non vero in arbitro ex mero conſenſu partium electo: unde cum in judice delegato cum conſenſu partium concurrat auctoritas delegantis, ideo habens 18. annos poteſt delegatus creari; at vero in arbitro nulla auctoritas dantis, ſed tantum partium conſenſus adeſt, ideoque minor 20. annis in arbitrum eligi non valet. Quo modo etiam accipiendi ſunt textus *in l.* 4. *titul.* 5. *partit.* 3. *l.* 4. *tit.* 15. *l.* 2. *ordin.* Nec etiam facit pro contraria opinione textus *in dict. l. cum lege* 41. argumento a contrario deducto, quod ex eo textu deduci non valet; nam ſi Calliſtratus docet, minorem 20. annis cogi non poſſe arbitrium dicere, expreſſe ſupponit, arbitrium ſuſcipere non valere, cum ex edicto Prætoris omnes arbitri ex conſenſu partium electi poſſent cogi arbitrium dicere, *l. non diſtinguemus*, cum ſuis §. §. *ff. de arbitris*: igitur ſi non poteſt cogi, nec eligi valet, ut docet Bronchorſt *centuria* 1. *aſſert.* 65. omiſſis aliis ſolutionibus traditis a Fabro *in ejus textus rationali*, Oſualdo *l.* 17. *ad Donellum*, *c.* 24. *littera* G. Vultejo *de judiciis*, *c.* 1. *n.* 100. Narbona *de ætate anno* 35. *q.* 33. Hodie tamen cum ætas 26. annorum ad judicandum præfinita ſit, *l.* 2. *tit.* 9. *l.* 3. *recopil.* abrogatis, ſeu expoſitis *l.* 5. *tit.* 4. *part.* 3. *l.* 3. *tit.* 9. *l.* 3. *recopil.* crederem arbitros etiam 25. aut 26. annos habere debere, quod & docet Narbona *anno* 25. *quæſt.* 33. Nec tandem facit pro alia ſententia textus *in d. l. quidam*; nam in eo ſententia prolata a minore 20. annis, ſuſtinetur ex diſpenſatione Principis, qui poteſt in ætate Magiſtratuum diſpenſare, ut ſupra probavi, & docent Vultejus *de judiciis lib.* 1. *cap.* 1. *num.* 99. Altamirano *in lib.* 1. *C. de filiis official. c.* 4. *n.* 9. Amaya *in lib.* 2. *C. ſi ſervus aut liber*, *ex n.* 29.

C A P U T XLII.

Idem.

UNO *a* delegatorum, vel *b* arbitrorum (ſicut proponis) rebus humanis exempto, eorum officium expiravit. Niſi aliud in *c* delegatione, aut compromiſſo fuiſſet expreſſum.

N O T Æ.

1 a *DElegatorum*.) Uno enim ex judicibus delegatis defuncto, aliorum expirat etiam juriſdictio, ut docent Vighellius *in meth. juris can. pag.* 211. P. Gregor. *in c. ſciſcitatus*, *de reſcriptis*, Matienzo *in l.* 12. *gloſſa* 1. *tit.* 4. *l.* 5. *recop.* Farinacius *in fragm.* 2. *p. verbo judex*, *n.* 773. quam partem expoſui *in c. ſciſcitatus*, *de reſcriptis*, *c. quoniam* 14. *hoc tit.* & explicat Caſtillo *l.* 5. *controv. c.* 130. *n.* 7.

2 b *Arbitrorum*.) Arbitrorum morte, & compromittentium finiri compromiſſum, probabimus *in c. fin. de arbitris*. Non idem procedit defuncto uno ex executoribus datis ad teſtamentum faciendum, vel exequendum, ut pro interpretatione textus *in c. fin.* §. *ſane*, *de teſtam. l.* 6. docent Carpio *de execut. l.* 3. *c.* 2. *per totum*, Barboſa *voto* 59.

c *Delegatione*.) Adjecta videlicet clauſula, Quod ſi non omnes, quam illuſtravi *in d. c. ſciſcitatus*.

C A P U T F I N A L E.

a Idem.

QUoniam Apoſtolica Sedes intendit providere negotiis, & non perſonis, quibus eadem committuntur, ſi judex tertius, licet ex officio noſtro, vel de aſſenſu partium pro communi a nobis datus eiſdem, alii delegaverit vices ſuas (cum delegato a Principe id concedatur a jure) delegatio valebit ipſius. Idem quoque dicendum eſt, cum mandatur Epiſcopo, ut cum altero ſuorum conjudicum mandatum Apoſtolicum exequatur: & tunc ſine ſubdelegato ab ipſo Epiſcopo reliqui duo procedere non valebunt. §. Is autem, cui injungitur, ut perſonaliter negotium exequatur, poteſt (dummodo partes conſentiant) hoc aliis delegare, præterquam ſi inquiſitionem fieri, vel Eccleſiis de Prælatis, vel aliis miniſtris provideri mandaremus; cum in his omnibus caſibus induſtriam, & fidem perſonæ, cui talia committimus, eligere videamur. §. Ceterum (ſalva Legatorum Sed. Apoſt. auctoritate) nulli, cui commiſſum fuerit prædicare Crucem, excommunicare, vel abſolvere aliquos, diſpenſare cum irregularibus, vel injungere pœnitentias, liceat hæc de cetero aliis demandare; quia non ſibi juriſdictio, ſed certum miniſterium potius committitur in hac parte.

N O T Æ.

1 a *IDem*.) Gregorius IX. videlicet, qui a nemine conſultus, ſed motu proprio præſentem edidit conſtitutionem, ut explicaret poteſtatem delegandi, ſeu ſubdelegandi, cum mandata eſt jurisdictio, aut nudum miniſterium commiſſum: quam poteſtatem expoſui *in capit.* 3. *hoc titulo*, & pro conciliatione præſentis textus cum capite finali, *de off. Ordin.* repetenda ſunt adducta in commentario dicti capitis finalis.

T I T U L U S XXX.

De officio Legati.

C A P U T P R I M U M.

Alexander III. a *Univerſis Suffraganeis* b *Cantuar. Eccleſiæ*.

CUM non ignoretis, venerabilem fratrem noſtrum Cantuar. Archiep. vobis non ſolum Metropolitani, ſed etiam *c* Legationis jure præeſſe; mirabile ſatis eſt, quod quidam veſtrum, ſicut audivimus, aſſeverare præſumunt, quod idem Archiepiſcopus nullam cauſam de Epiſcopatibus veſtris, ſive Metropoleos, ſive Legationis jure audire debeat, niſi per *d* appellationem perferatur ad ipſum. Sane licet Metropolitico jure audire non debeat cauſam de Epiſcopatibus veſtris, niſi ad eum per ap. deferatur, tamen Legationis obtentu univerſas Eccleſiaſticas cauſas de ipſis Epiſcopatibus, quæ per ap. vel querimoniam aliquorum perveniunt ad audientiam ſuam, audire poteſt, & debet, ſicut qui in provincia ſua vices noſtras gerere comprobatur. Mandamus itaque, & præcipimus, ut cauſas, quæ de Epiſcopatibus veſtris ad eumdem Archiepiſcopum perferuntur, ejus judicio relinquatis, nec quemlibet clericum vel laicum veſtræ jurisdictionis deterrere, vel impedire tentetis, quominus cauſam ad præfatum Archiep. ſi voluerit, poſſit transferre.

N O T Æ.

a *UNiverſis*.) Ita etiam legitur in prima collectione, *ſub hoc tit. c. unico*, videlicet 23. Epiſcopis, qui ut ſuffraganei parent Archiepiſcopo Cantuarienſi, quorum Sedes referunt Candenus *in Republica Angliæ*, Carolus a S. Paulo *in Geographia ſacra*, Barboſa *par.* 1. *de poteſt. Epiſcop. in notitia Epiſcop.*

1 b *Cantuarienſi*.) De hujus Eccleſiæ origine, & amplitudine aliqua adduxi *in c.* 2. *de reſcriptis*.

c *Legationis*.) Inter alia Cantuarienſium Præſulum privilegia non minimum olim fuit jus Legatorum; illi enim Legati nati Sedis Apoſtolicæ erant: ita enim ſcribit Joannes Papa XII. in litteris ad S. Dunſtanum Archiepiſcopum Cantuar. apud Malmesb. *l.* 1. *Pontif. pag.* 212. „ Primatum itaque tuum, in „ quo tibi ex more anteceſſorum tuorum vices Apoſtolicæ Sedis exercere convenit, ita tibi ad plenum confirmamus, ſicut B. Auguſtinum, ejuſque ſucceſſores præfatæ Eccleſiæ Pontifices habuiſſe dignoſcitur. *Unde Candenus* in ſua Brit. pag. 239. *alias* 196. Cantuarienſes Archiepiſcopi erant Legati „ Pontificis Romani, & (ut Urbanus Secundus ajebat) velut „ alterius orbis Patriarchæ: & Goduvinus in vita Theobaldi „ Archiepiſcopi pallium accepit Romæ ab Innoc. II. a quo „ etiam titulo donatus eſt Legati nati, qui ab omnibus ſucceſſoribus jam inde ſemper retentus eſt. *Et prius in vita Rodulphi Archiepiſcopi*: Rodulphus Sedi Cantuarienſi privilegium antiquitus conceſſum aſſeruit, ut illius Eccleſiæ Archiepiſcopi Sedis Apoſtolicæ Legati nati perpetuo haberentur. *Parker.* in antiq. pag. 23. Pontifices Romani Cantuarienſes Archiepiſcopos, ut ſuos Legatos nominabant, ut auctoritatem, quam jure ſuo obtinebant, a Sede Romana ſumere viderentur: “

d *Appellationes*.) *Cap. per ſingulas* 1. 9. *q.* 3. *dilecti*, *c. cum cauſam*, *c. ſolicitudinem*, *de appel. c. Romana*, *eod. tit. in* 6. *cap. per tuas*, *de ſententia excomm. c. venerabilib. eod. tit. in* 6. *c.* 1. *de foro compet. eod. l.* Docent late Balboa *in c.* 1. *de foro compet.* Hallierius *de hierarch. juriſd. l.* 4. *art.* 3. §. 1. & nos plura dabimus *in c. paſtoralis*, *de officio Ordinarii*.

COMMENTARIUM.

2 Concluſio probatur. EX hoc textu talis deducitur aſſertio: *Legatus Pontificis in Provincia ſuæ legationis etiam per ſimplicem querelam adiri poteſt*. Probant eam textus *in c. cum inter*, juncta integra, *cap. cum venerabilis* 7. *de conſ. c.* 2. *hoc tit. in* 6. *c. officii* 38. *de elect. c. veniens*, *de V. S. c. ſi Abbatem*, *de elect. l.* 6. Illuſtrant ultra relatos a Barboſa *in præſenti*, & *l.* 1. *juris Eccl. c.* 5. *n.* 75. Pet. Greg. *l.* 5. *partit. tit.* 3. *c.* 2. Cæſar *de Eccl. hierar. diſput.* 3. §. 2. *n.* 3. Sahagun *ad hunc titulum*, *n.* 7. Corvinus *l.* 1. *aphoriſ. tit.* 20. Fragoſo *de regim. Chriſt. reipubl. pag.* 2. *l.* 4. *diſp.* 19. §. 5. Morinus *l.* 1. *exercit. c.* 21. Morla *de juriſd. tit.* 2. *n.* 105. Gambara *de off. Legati l.* 8. *n.* 7. Caniſius *in ſumma hujus tituli*, Lælius Cæcus *de repub. tit. de ſtatu Legati*, *n.* 3. Zerola *in praxi*, *verbo Legatus*, Azor *Inſtit. moral.* 2. *p. l.* 5. *c.* 28. Fileſacus *in c. duo* 9. *de officio Ordinarii*.

3 Impugnatur tradita aſſertio. Sed adverſus hanc aſſertionem inſurgi poteſt ſequenti conſideratione. Eccleſiaſticus ordo confunditur, ſi ſua unicuique juriſdictio non ſervetur, & ab Ordinario aufertur primæ inſtantiæ cognitio. Leo Pontifex X. in conſtitutione lata in Conc. Later. an. 1515. in illis verbis: “ Et cum Eccleſiaſticus ordo „ confundatur, ſi ſua unicuique juriſdictio non ſervetur, Ordinariorum juriſdictioni quantum cum Deo poſſumus favere, ac litibus celerius finem imponi, & litigantium immoderatis ſumptibus, & expenſis parcere ſatagentes, ſtatuimus, „ & ordinamus, quod ſingulæ cauſæ, tam ſpirituales, quam „ civiles, & miſtæ, forum Eccleſiaſticum quomodolibet concernentes, in prima inſtantia extra Romanam Curiam, & „ in partibus coram Ordinariis locorum dumtaxat cognoſci, „ & terminari valeant. *Unde PP. Conc. Trid.* ſeſſ. 24. de reform. „ c. 20. *ita ſtatuerunt*: Legati quoque etiam de latere, Nuntii, „ Gubernatores Eccleſiaſtici, aut alii quarumcumque facultatum vigore, non ſolum Epiſcopos in prædictis cauſis impedire, aut aliquo modo eorum juriſdictionem iis præripere, aut „ turbare non præſumant, ſed nec etiam contra clericos, aliaſve perſonas Eccleſiaſticas, niſi Epiſcopo prius requiſito. „ Quare in omnibus cauſis ad forum Eccleſiaſticum pertinentibus coram loci Ordinario inſtantiam tractandam, & finiendam eſſe docent innumeri congeſti a Barb. *in d. c.* 20. *Conc. Tr.* Salg. *de retent. bullarum* 2. *p. c.* 3. Archiepiſcopus Cantuarienſis, quantumvis Legatus natus Sedis Apoſtolicæ, non poteſt per viam querelæ adiri, cum per conſequens prima inſtantia tollatur ab Ordinariis ſuffraganeis. Augetur hæc dubitandi ratio ex eo, nam Legati Sedis Apoſtolicæ exæquati ſunt Legatis Proconſulum, *c.* 2. *hoc tit. l.* 6. ſed Legati Proconſulum, imo & ipſi Proconſules intra Urbem tantum voluntariam, non contentioſam exercere poterant juriſdictionem, *l.* 2. *in principio*, *ff. de officio Proconſulis*: igitur & Legati Sedis Apoſtolicæ juriſdictionem contentioſam exercere non poſſunt.

4 De Legatorum origine. Hac difficultate non obſtante vera eſt præſens deciſio, ad cujus expoſitionem primo præmittendum eſt, Legatum a legando, imo & legendo dictum eſſe, quaſi prius lectus, & electus, ut publicum negotium peregre, & auctoritate publica agat, & pertractet. Occurrunt enim plerumque negotia, quæ niſi per Legatos expediri nequeunt, ut ſunt, quæ cum abſentibus agenda, & pertractanda veniunt; nam litterarum miniſterio cuncta committere, & earum fidei, periculoſum eſſet; nec poſſunt calamo peragi, quæ exploranda magis, quam tractanda ſunt, & mutuo, præſentique colloquio egent: quare Legati officium jam olim in uſu apud varias nationes fuiſſe legimus ad expedienda publica belli, aut pacis negotia. Mittuntur autem Legati a Principe ad Principem, *l. fin. ff. de Legat.* a Rebuſpublicis ad Reſpublicas, *l.* 1. *C. eod. titul.* qui dicebantur Legati cum adjectione talis provinciæ, ut Legatus Ciliciæ, *in lib. teſtium* 3. *v. Ideoque*, *ff. de teſtibus*. Legatus Lugdunenſis, *lib. ſpadonem* 15. §. *ſi quis* 17. *ff. de excuſat. tutor.* Aquitaniæ, *in l.* 12. *ff. de cuſtodia reorum*: Galliæ *in l.* 2. *ff. de cuſtodia reorum*: Galliæ *in l.* 2. *ff. de jure immunit.* Numidiæ *in libr. nam* 7. *ff. de legat. præſtandis*. Et illi negotia publica cum exteris gentibus diſceptabant, ut Beliſarius eos deſcripſit apud Procopium *libr.* 2. *belli Perſici*; non tamen ullam juriſdictionem exercebant; cum juriſdictione autem ſuos Legatos mittebant Proconſules, & Præſides, de quibus *in titulo*, *ff. de officio Proconſul. lib.* 2. *C. de apparitoribus*, *l.* 12. *l.* 1. *ff. de officio præſidis*, qui dicebantur Legati Proconſulis, & Præſidis, *l. non eſt* 7. *ff. de manum. vindict. l. moris* 9. §. 2. *ff. de pœnis*; quibus maxime conveniunt Legati nati, ſeu miſſi cum juriſdictione, de quibus in præſenti titulo agemus, ut jam notavit Petrus Marcha *l.* 5. *concord. Sacerd. & Imper. c.* 1. & 2. Inferiores ad Principem Legatos proprie non mittunt, nec hujuſmodi Legati potiuntur privilegiis, & prærogativis aliorum Legatorum ſupremorum Principum, de quibus *in l. finali*, *ff. de legationibus*, *l. ſanctum* 8. *de diviſ. rerum*, *l. lege Julia* 7. §. *finali*, *ad leg. Jul. de vi public. l.* 2. §. *fuit poſt eos*, *verſicul. Deinde*, *ff. de origine juris*, *c. jus gentium* 7. 1. *diſt. l.* 9. *tit.* 25. *partit.* 7. *l.* 25. *tit.* 18. *part.* 3. *l. unica*, *tit.* 8. *l.* 6. *recopil.* in quibus Legatorum perſonæ ſanctæ dicuntur, quia nullo modo lædi poſſunt, aut violari, ut probant Duarenus *l.* 1. *diſp. c.* 37. Emanuel Suarez *l.* 1. *obſerv. c.* 10. & 15. Petrus Faber *l.* 2. *ſemeſtr. c.* 1. Durantius Caſellius *l.* 1. *variar. c.* 1. Marquez *in Gubernat. Chriſt. l.* 1. *c.* 27. & *l.* 2. *c.* 37. D. Joannes a Solorzano *t.* 1. *de jure Ind. l.* 2. *c.* 20. *n.* 27. Imo ſubditorum Legati illis tantum privilegiis fruuntur, quæ illis a Principe conceduntur, de quibus *in titulis ff.* & *Cod. de legationibus*, *lib.* 2. §. *Legatis*, *cum ſequentibus*, *l. ſi quis* 8. *l. non alias* 24. *cum ſeqq. uſque ad leg.* 28. *l. cum furioſus* 39. §. *fin. l. ſi uxor* 42. *ff. de judiciis*, *l. eum*, *qui* 5. §. 1. *ff. de conſtit. pecun. lib. ſi Legatus* 30. *ff. ad Trebel. l. finali*, §. *Legati* 12. *ff. de muner. l.* 2. *C. de muner. & honor. l.* 10. *l. hos* 12. *ff. de accuſat. l. Titio* 36. *ff. ad municip. l. Legatis* 8. *ff. ex quibus cauſis*, *lib. tutor.* 35. §. *fin. ff. de jurejur.* plura de his Legatis publicis, & eorum legationum juribus congeſſerunt relati a Solorzano *d. n.* 27. quibus addendi ſunt Briſſonius *de formulis*, *pag.* 276. Scombornerius *l.* 3. *polit. c. capitol.* Clapmarius *de jure Imperii*, *libr.* 1. *capit.* 18. Beſoldus *tom.* 3. *polit. diſſert. de Legatis*, *eorumque jure*, Burgenſis *centuria* 1. *obſervat.* 96. Petrus Herodius *lib.* 10. *rerum jud. tit.* 19.

tit. 13. *c.* 3. 18. & 22. Zipeus *de Senatoribus l.* 4. *c.* 28. Arniſeus *de jure majeſtat. l.* 2. *c.* 5. *n.* 16. Grotius *de jure belli, l.* 2. *c.* 18. §. 2. Dorleans *ad Tacitum* 3. *annal. pag.* 430. Scribamus *in polit. l.* 1. *c.* 26. Giurba *conſil.* 69. Amaya *in l.* 2. *n.* 30. *C. de muner. & honorib. l.* 10. magnus & doctus ſemper D. Franciſcus Ramos *in memoriali pro Epiſcop. Luſit. propoſ.* 1. §. 2. *ex n.* 74.

5 De Legatis ſedis Apoſtolicæ. Etiam in Eccleſia jam ab ejus primis ſæculis magna fuit auctoritas Legatorum, quidquid impii hæretici impuris vocibus eorum nomen irridentes, detrahere intendant. In Conciliis enim plerumque generalibus Romanus Pontifex, qui nimiis occupationibus implicatus, & ob loci diſtantiam, cum occupata majore Italiæ parte a Barbaris neceſſario Concilia œcumenica in Oriente celebrabantur, cum per ſe præeſſe non poſſet, Legatos ſuos mittebat, ut ejus nomine illis præeſſent, ut in Concil. Nicæno, Epheſino, Chalced. & aliis contigit, de quibus Legatis egit Creſpetius *in ſumma, verbo Legatus*, & plene, ac erudite Petrus Marcha *l.* 5. *concord. Sacerd. & Imp. c.* 2. *cum ſequent.* Legatorum autem Sedis Apoſtolicæ tria ſunt genera, *c.* 1. *hoc tit. l.* 6. Alii ſunt Legati a Latere dicti, *c. decreto, c. ſi quis Epiſcopus,* 2. *q.* 6. ſive a facie, ut vocat Balſamon *ſcholio* 1. *ad Synodum ſextam in Trul.* Laterales eos appellat Ivo Carnot. *epiſt.* 109. qui a latere Pontificis mittuntur, ut ait Leo Pontifex *ep.* 14. *ad Fauſtum*, in illis verbis: *Cum propter cauſam fidei, quam Eutychides perturbare tentavit, de latere meo mitterem, qui defenſioni veritatis aſſiſteret.* Qui enim ex collegio Cardinalium Legati eliguntur, qui ad latus Pontificis ſunt, ſicut *in l. juriſperitos* 30. *ff. de excuſat. tutor.* dicuntur crica latus Principis agere, qui in ejus comitatu ſunt: & apud Poſſidium *in vita S. Aug.* de judice Africæ ab Honorio Imperatore dato ita legitur: *Propter quod perficiendum etiam de ſuo latere Tribunum, & Notarium Marcellinum ad Africam judicem miſerat*; inde Cardinales Legati a Latere dicuntur, *c. volentes* 8. *de officio ord. l.* 6. *ſi Abbatem* 36. *de elect. eod. l.* quia Cardinales de corpore ipſius Pontificis, & ad latus ejus ſunt, *c. quiſquis* 6. *qu.* 1. *Clem. felicis, de pœnis.* Non tamen olim neceſſarium erat, ut Legati a Latere Cardinalitia dignitate præfulgerent, ut probant Juretus *in notis ad ep.* 260. Ivonis. Alii ſunt Legati nati, ita appellati, quia cum ipſa dignitate, quam obtinent, ipſo jure Legatorum officium nanciſcuntur, quales ſunt Archiepiſcopus Cantuarienſis, ut ſupra probavi, Eboracenſis *c.* 1. *ut lite pendente*, Bituricenſis *c. ult. de major. & obed. c. expoſui, de dilat.* Rhemenſis, *c. per venerabilem, §. verum, qui filii ſint legitimi, c. penult. de filiis Presbyt. c. cum Bertoldus, de re judicata*, Chopinus *de ſacra polit. lib.* 2. *tit.* 6. *n.* 2. Non tamen omnes, qui pallii honorem a R. P. conſequuntur, ideo Legati creantur, ut aliqui exiſtimarunt. Licet enim pallii honor illis concedatur, non ideo legationis officium nanciſcuntur, ut probat doctus Cironius *l.* 1. *obſerv. c.* 7. Tandem alii ſunt Legati miſſi, illi videlicet, qui cum ſint a latere Pontificis, neque naſcuntur Legati; tamen in aliquam provinciam mittuntur ob eorum induſtriam, & rerum peritiam, de quibus *in c. mandata, de præſumpt. c. cum dilecti, de accuſat.* Mitti autem poſſunt ut Legati illi, qui in Eccleſiaſtica dignitate ſunt conſtituti, etiamſi Subdiaconali tantum gradu ſint inſigniti, *c.* 1. 94. *d.* Proſequuntur horum Legatorum dignitatem, & prærogativam Pariſius *de reſign. benef. l.* 7. *q.* 13. *n.* 1. Garcia *de benef.* 5. *p. c.* 3. *n.* 3. Speculator *p.* 1. *tit. de Legato*, Moneta *de conſerv. c.* 4. *n.* 24. Ferro Manrique *de præc. q.* 29. Villaroel. *t.* 1. *regiminis Eccl. c.* 4. *art.* 6.

6 De officio legati. Deinde ſciendum eſt, prædictorum Legatorum non eſſe æqualem juriſdictionem, ſeu auctoritatem; quædam enim ſpecialiter competunt alicui ex eis, quæ aliis denegantur. Communia omnibus ea ſunt. Primum, ut omnibus æque honor debeatur ſub pœnis ſtatutis in extravaganti unica, *de conſuet.* Secundum, ut omnes in provinciis ſibi commiſſis noxia evellant, ſalutaria inducant, & promoveant, *d. c. mandata, de præſump. c.* 2. *hoc tit. l.* 6. Tertium, ut omnium æqualiter legatio provocari poſſit tacite, vel expreſſe, *c.* 2. *hoc tit. c. paſtoralis* 14. §. *quoniam, de reſcriptis.* Quartum, ut in quacumque cauſa ad R. P. perlata amplius procedere non poſſint, *c. lites* 5. *hoc ti.* Singulorum autem propria, & ſpecialia ſunt quæ ſequuntur. Primo proprium eſt Legatorum a latere abſolvere quoſcumque excommunicatos propter violentam manuum injectionem in clericos, *c. excommunicatus c. hoc ti.* Secundum, beneficia vacantia in ſua provincia conferre, etiamſi præſentatio ad patronum clericum ſpectet, *c. dilectus* 6. *hoc tit. c.* 1. *eod. tit. l.* 6. Tertium, quando Legati a latere perveniunt, ſeu accedunt ad provinciam, in qua degunt miſſi, aut nati, eorum ſuſpenditur juriſdictio, *c. volentes, hoc tit. c. antiqua* 23. §. *Dominica, de privileg.* Quartum, Legati a Latere cognoſcunt etiam de cauſis exemptorum, *c. ſi Abbatem, de elect. l.* 6. *c.* 1. *hoc tit. eod. l. c.* 1. *de V. S. in* 6. Quintum, Legati a Latere deferunt per totam ſuam provinciam crucem, & ipſam urbem ingredientes ſub baldachino recipiuntur, ceteri vero tantum aſcendunt equum album, deferunt calcaria inaurata, & veſtes rubeas, *c. antiqua, de priv.* Tandem in procurationibus recipiendis diſtant valde Legati a latere ab aliis Legatis; nam Legati a latere recipiunt ſuas procurationes etiam extra provinciam, *c. cum inſtantia, c. procurationes, de cenſibus.* Legati etiam nati aliquid ſpeciale obtinent aliis Legatis non commune, videlicet ut diuturnior ſit eorum poteſtas; natorum enim legatio quia adhæret beneficio, tamdiu durat, quamdiu Legati illud poſſident, *d. c. antiqua*: aliorum vero legatio perſonis tantum cohæret, & elapſo tempore illi præfixo, expirat, *c.* 4. *hoc tit.* morte autem Pontificis non finitur, quia non tam ab eo, quam ab ipſa Sede Apoſtolica, aut Cardinalium collegio miſſi intelliguntur, *c.* 2. *hoc tit. in* 6. *c. ſi gratioſe, de reſcriptis; eod. l.* Legati etiam miſſi illud proprium habent Legatis natis non commune, ut videlicet aliqua leviora, etiam in ſua legatione non expreſſa, in ſua provincia expedire poſſint, *c. mandato* 6. *de præſumpt. c. cum dilecti* 18. *de accuſat. c. excommunicatis* 9. *hoc tit.* nati autem nihil poſſunt ſibi vindicare ultra ſpecialiter eis in legatione commiſſa, *c.* 1. *hoc tit. l.* 6. Alias inter prædictos Legatos proſequuntur differentias Lælius Cæcus *de republ. Chriſtiana tit. de Legato.* Speculator, Marcus Antonius, & Gambara *eod. tractatu.*

His præmiſſis ratio præſentis deciſionis ex eo provenit; nam cum Legati Apoſtolici in provinciis ſibi commiſſis non delegati, ſed ordinarii judices ſint, *c.* 2. *Ordinarios reputantes, hoc tit. l.* 6. ipſa legatione conſequuntur propriam, & ordinariam juriſdictionem, *c. quoad tranſlationem*, ex quo legationis officio non Apoſtolica delegata, ſed ſua utuntur juriſdictione in negotiis ſibi commiſſis, *c. ſi Apoſtolicæ*, ibi: *Auctoritate ſua legationis, c. ſi qui, de præbendis l.* 6. licet enim ad unam provinciam mittantur, & videantur habere mandatam juriſdictionem, tamen cum ipſe Princeps Eccleſiæ ſit qui eos deſignat cum abſoluta poteſtate, non delegati, ſed ordinarii ſunt, ut docent Cæſar *de Eccleſ. hierarch. diſp.* 3. §. 2. Sahagun *ad hunc titul. n.* 12. igitur ſi ſunt ordinarii in provinciis ſibi deſignatis, recte poſſunt in cauſarum cognitione etiam per viam querelæ quoad primam inſtantiam adiri, & cum ordinariis ipſius provinciæ concurrere, ita ut ſi cauſa ab eis præventa non ſit, recte poſſint Legati de ea cognoſcere, quia ſunt etiam judices ordinarii illius provinciæ, ut docent Sahagun, & Sebaſtian. Cæſar, *ubi proxime.* 7 Ratio decidendi.

Nec difficultas ſupra pro dubitandi ratione adducta obſtat, procedit enim inſpecto noviori jure Conc. Trid. & Leoninæ conſtitutionis; licet enim jure communi inſpecto ex noſtro textu, & juribus ſupra citatis poſſit prima inſtantia tolli, & auferri; hodie tamen nullo modo alius quam ordinarius judex cauſæ poteſt adiri per modum querelæ in prima inſtantia. Et quia circa Legatos, utpote ordinarios, poſſet adhuc dubitari, expreſſe *in d. c.* 20. *Concilii Trid.* ſtatutum fuit, ne etiam Legati poſſint auferre primam inſtantiam Epiſcopis: unde per eam conſtitutionem correctam eſſe præſentem deciſionem, omnes in præſenti notarunt. Nec argumentum difficultatis adverſatur; nam licet Proconſul extra ſuam provinciam non poſſit contentioſam, ſed tantum voluntariam exercere juriſdictionem; tamen intra provinciam propriam omnem ordinariam juriſdictionem exercet, & ita Legati Sedis Apoſtolicæ, qui dictis Proconſulibus æquiparantur, intra provinciam ſuæ legationis jure communi attento eam exercere valebant. 8 Diſſolvitur dubitandi ratio.

Superiori aſſertioni primo opponitur textus *in c. pervenit* 11. *q.* 1. ubi proponitur, quod ſi clericus cum clerico cauſam habuerit, & voluerit illum convenire coram Epiſcopo, debere coram eo actionem proponere, non autem coram defenſore Siciliæ Legato Sedis Apoſtolicæ in ea provincia miſſo; quia niſi unicuique Epiſcopo juriſdictio ſervetur, Eccleſiaſticus ordo confunditur. Ex quo textu facile deducitur, Legatum miſſum a Sede Apoſt. per viam querelæ adiri non poſſe; ſiquidem coram defenſore Siciliæ Legato Sedis Apoſt. clericus debitorem ſuum convenire non valet. Hujus textus vera interpretatio provenit ex cognitione dignitatis, ſeu officii defenſoris Siciliæ. Et ſciendum eſt, temporibus Gregorii Magni ab ipſo miſſos fuiſſe in Siciliam duos diaconos, vel ſubdiaconos, ut patrimonium Eccleſiæ Romanæ adminiſtrarent, curarentque, & frumentum ex ea provincia in urbem exportarent. Conſtat ex D. Gregorio *l.* 1. *epiſt.* 1. & 70. Ad ipſos etiam defenſores ſpectabant cauſæ, negotiaque eorum Epiſcoporum, qui intra fines ipſius provinciæ degebant: idem *l.* 7. *indict.* 2. *epiſt.* 39. non autem illi defenſores erant Legati Sedis Apoſtolicæ, ſed tantum miniſtri præpoſiti ſupradictis negotiis. De hoc defenſore Siciliæ plura tradit D. Rochus Pirro *tom.* 1. *Siciliæ ſacræ, pag.* 67. & nos aliqua adduximus *in cap. unico, de ſyndic. cap.* 1. *de fide inſtrum.* Dadin. Alteſſer. *diſſert. juris can. c.* 5. *per totum.* Unde cum textus *in d. c. pervenit*, non loquatur de Legato Sedis Apoſtolicæ, recte aſſeritur, eum neglecto Epiſcopo non poſſe adiri: cum cujuslibet cauſæ prima inſtantia debeat coram loci ordinario diſceptari: docet Cæſar *d.* §. 2. *n.* 3. 9 Exponitur c. pervenit 11. q. 1.

Secundo adverſatur ſupra traditus textus *in c. Eccleſia* 38. *de appell.* ubi proponitur, clericos Lincolnienſis diœceſis (quæ ſuffraganea eſt Cantuarienſis) cauſam agitaſſe coram ipſo Lincolnienſi: & cum altera ex partibus ab Archiepiſcopum Cantuarienſem appellaſſet, quæſitum fuit a noſtro Alexandro III. utrum Archiepiſcopus virtute provocationis poſſet de cauſa cognoſcere? Et affirmat Alexander III. non aliter eum poſſe in cauſæ cognitione procedere, quam ſi ex juſta cauſa fuiſſet provocatum; non autem ſi appellatio frivola erat, ut poſt Gloſſam ibi ſupponit potius quam exponit Cujacius. Ex quo textu deducitur, Legatum natum Cantuarienſem Archiepiſcopum, de quo in præſenti, non aliter adiri poſſe a ſubditis ſuffraganeorum, quam per viam juſtæ appellationis, non autem per modum ſimplicis querelæ. Huic difficultati duplici modo ſatisfieri poſſe exiſtimavit Panormitanus *ibi, num.* 4. Primo aſſerendo, verum eſſe, Legatum Sedis Apoſt. adiri poſſe per viam ſimplicis querelæ, aut appellationis juſtæ; non autem per appellationem frivolam, & injuſtam, quia fruſtratoria appellatio non devolvit cauſam ad ſuperiorem, *cap. cum appellationibus, de appell. in* 6. unde cum in eo textu non per ſimplicem querelam, ſed per viam appella- 10 Intelligitur c. cum in Eccleſia de appell.

tionis injuſtæ Archiepiſcopus fuiſſet provocatus, non potuit de cauſa cognoſcere. Quod etiam evenit in Rom. Pontifice, qui licet jure communi inſpecto poſſet per viam ſimplicis querelæ adiri, tamen injuſte ad ipſum appellari non poteſt. Secundo ſatisfacit ipſe Panormitanus aſſerendo, Legatum poſſe adiri per ſimplicem querelam, quando cauſa non eſt cœpta, & conteſtata coram Ordinario; tunc enim Legatus neglecto Ordinario in ea procedere non poteſt, ut probat Covarruv. *practic. quæſt.* 9. *num.* 3. cum enim ipſi Legatus, & Epiſcopus ordinarii ſint, ut ſupra probavi, inter eos præventioni locus eſt, *c. ſi a Sede* 31. *de procurat. lib.* 6. & qui cœpit de cauſa cognoſcere, debet eam debito fine terminare, *cap. propoſuiſti, de foro compet.* Docent in præſenti Abbas *num.* 3. Gambara *de off. Legati lib.* 8. *num.* 13. Sahagun *de off. Legati num.* 11. unde cum *in d. c. cum in Eccleſia*, cauſa conteſtata fuiſſet coram Epiſcopo Lincolnienſi, non potuit Archiepiſcopus, niſi juſte ad ipſum fuiſſet provocatum, in cauſa procedere.

C A P U T II.

Cæleſtinus III. *Magiſtro a Columbo.*

Studuiſti a nobis quærere, utrum de cauſa, quam alicui delegamus, alius qui ſit generalis in provincia Legatus, vel ante cognitionem, vel poſtea valeat cognoſcere, & commiſſionis noſtræ proceſſum, quem judici delegato tranſmittimus, valeat taliter impedire. Hanc itaque dubitationem de animo tuo amputare volentes, reſpondemus quod cum mandatum ſpeciale deroget *b* generali, Legatus commiſſionem alii, vel aliis factam ſpecialiter non debet, nec poteſt impedire: ubi etiamſi ſecundum formam expreſſam noſtri mandati ſententia fuerit promulgata, non poterit ipſe Legatus, niſi ſuper hoc mandatum ſpeciale receperit, eam quolibet modo irritare. Ipſam tamen, ſi rationabiliter lata fuerit, confirmare valet, & executioni mandare.

N O T Æ.

1 a *Magiſtro Columbo.*) Ita legitur *ſub hoc tit. c. unico, in* 2. *collect.* non autem apparet, cujus nationis, ſeu provinciæ eſſet Magiſter Columbus. Credo tamen natione Anglum eſſe, præſentique deciſioni anſam dediſſe quæſtiones agitatas inter Elienſem Epiſcopum Apoſtolicæ Sedis Legatum, & Vualterum Archiepiſcopum Rhotomagenſem, judicem delegatum in illis partibus, quarum meminit Baronius *anno* 1191.

2 b *Derogat generali.*) Ut in ſimili cauſa reſpondit Innocentius *l.* 1. *ep. regiſtr.* 1. ubi notavit Boſquetus, noſque plura adduximus *in c.* 1. *de reſcriptis.* Hanc tamen regulam non procedere, quando concurrunt duo mandata in una perſona, docet Noguerol *alleg.* 7. *n.* 42.

COMMENTARIUM.

3 Concluſio refertur, & probatur. Ex hoc textu communiter deducitur talis aſſertio: „ De „ cauſa ſpecialiter a Pontifice delegata Legatus cogno„ ſcere non poteſt, nec per viam quærelæ in prima inſtan„ tia, aut appellationis in ſecunda, niſi ut eam cofirmet. „ Quæ concluſio probari poteſt *ex c. ſane* 11. *c. paſtoralis, §. præterea, cap. ſignificaſti, de officio delegati, c. penult. in fine, de purg. canonic.* Conſonat lex 5. *tit.* 5. *part.* 1. Illuſtrant Lelius Cæcus *de repub. tit. de ſtatu Legati, n.* 4. *verſ.* 11. Barboſa *l.* 1. *juris Eccl. c.* 5. *n.* 81. Mandoſius *de inhibit. q.* 5. Petrus Greg. *l.* 5. *part. tit.* 3. *c.* 3. Angajanus *l.* 3. *de legibus, c.* 33. *n.* 33. & 37. Fachineus *l.* 12. *controv. c.* 85. Tondutus *de prævent. p.* 2. *c.* 7. *n.* 9. Antonius Chuchus *l.* 1. *inſtit. tit.* 5. *de legatis*, Fragoſo *t.* 1. *Chriſt. Reipub. diſp.* 10. §. 2. *n.* 8. Gambara *de off. Legati, l.* 8. *n.* 99. Moneta *de commut. c.* 5. *n.* 193. & *c.* 6. *n.* 264. Narbona *de appell. a vicario, q.* 1. *n.* 152. Illuſtriſſimus Manrique *annal. Ciſterc. anno* 1204. *c.* 3. *n.* 3.

4 Impugnatur hæc aſſertio. Sed hæc aſſertio ita illuſtrata difficilis admodum redditur quentibus conſiderationibus. Prima ex eo naſcitur; nam quoties inter duos judices ambigitur, uter ex eis judicaturus ſit, ſi æquales ſunt, ſimul de cauſa cognoſcere, & ſententiam proferre debent, *c. paſtoralis, de reſcriptis*; ſi vero alter eorum major ſit, ille cauſam terminabit, *c. ſi duobus* 7. *de appell. l. contra pupillum, §. ult. ff. de re judic.* pluribus relatis docet Angujanus *d. l.* 3. *c.* 33. *n.* 2. ſed in concurſu judicis delegati, & Legati Sedis Apoſtolicæ, inficiari non poteſt, tam ratione dignitatis, quam juriſdictionis majorem eſſe Legatum, ut docent Chaſſaneus, Legaufre, & Corvinus in præſenti rubrica: igitur Legatus etiam de cauſa alii delegata cognoſcere valet. Augetur hæc difficultas; nam ſi delegatus in cauſæ cognitione procedit, quia gerit vices Pontificis, illumque repræſentat, *c. ſane* 11. *de officio delegati*, etiam Legatus gerit vices Pontificis, ut ſuperiori commentario probavi, & juriſdictionem ordinariam exercet in provincia ſibi aſſignata, *c. hoc tit. in* 6. igitur in concurſu delegati etiam quoad primam inſtantiam præferendus eſt. Secunda militat difficultas contra eam aſſertionis partem, ubi affirmatur, per viam appellationis quoad revocationem ſententiæ prolatæ non poſſe Legatum de cauſa alii ſpecialiter delegata cognoſcere, ſed tantum ad ejus confirmationem; & naſcitur ex eo, nam ſi Epiſcopus vicarium ſuum generalem in diœceſi habeat, & cauſam ſpecialem committat alicui judici ſuo delegato, ab hoc judice delegato ad ipſum vicarium generalem appellatur, ut docent *in c.* 2. *de conſuet. in* 6. Philippus Francus *n.* 8. Geminianus *n.* 7. Ancharanus *n.* 2. Narbona *p.* 1. *n.* 142. quod & in Archiepiſcopatu Toletano facilius procedit, ubi a Vicariis generalibus appellatur ad conſilium ipſius Archiepiſcopi, ut probat late Barboſa *in d. c.* 2. *de conſuet.* igitur ſimiliter a delegato Pontificis in cauſa ſpeciali ad ejus Legatum vicarium generalem in ea provincia appellari poterit. Augetur hæc difficultas, nam correlativorum eadem eſt ratio, & diſciplina, *l. fin. ff. de acceptil. ſi quis ſervus, C. de furtis*: & qui poteſt condemnare, poteſt & abſolvere, *c. verborum, de pœnit. diſt.* 1. *l.* 3. *ff. de re judic.* plura Barboſa *axiomata* 1. & 61. igitur ſi Legatus poteſt cognoſcere de ſententia a delegato prolata, ut eam confirmet, poterit cognoſcere ut eam infirmet.

Adhuc tamen defendenda eſt præſens Clementis deciſio, cujus ratio ex eo provenit; cum enim R. Pontifex aliquam cauſam ſpecialiter committit judici delegato, ejus cognitionem ſubtrahit a Legati juriſdictione; quia licet Legatus ut ordinarius generalem cognitionem illius cauſæ haberet virtute legationis, & mandati generalis; tamen cum mandatum ſpeciale deroget generali, ut late probavi *in c.* 1. *de reſcriptis*; ideo Legatus tamquam incompetens judex de ea cognoſcere non valet, cum jam ipſa cauſa privative ad judicem delegatum ſpectet. Accedit, nam in cauſa ubi Pontifex manus appoſuit, aliquis Legatus intromittere ſe non valet, ut aliis relatis docet Barboſa *l.* 1. *de jure Eccl. c.* 5. & *de off. Legati n.* 82. Sed Pontifex cauſam ſpecialiter delegando manus ſpecialiter in ea apponit: igitur Legatus ejus cognitioni ſe intromittere non valet. Sunt tamen caſus, in quibus Legatus poteſt de cauſa ſpecialiter delegata cognoſcere, ut ſi ille, qui reſcriptum impetravit, priuſquam illo utatur, adverſarium coram Legato conveniat; tunc enim virtute præventionis in ea cauſa Legatus procedere valet Tondutus *de prævent. d. c.* 7. *n.* 11. Item agnoſcere Legatus valet, ſi cauſa antiqua ab eo deciſa iterum ſuſcitetur, ut docet idem Tondutus *ubi ſupra, n.* 10. 5 Traditur ratio deciſiva.

Nec difficultates ſupra adductæ adverſantur. Non prima; nam negamus Legatum majorem eſſe judice delegato in cauſa illi ſpecialiter commiſſa, imo certum eſt, in ea judicem delegatum omnibus judicibus ordinariis majorem eſſe *c. ſane, de officio delegati*, junctis ibi traditis. Unde ex adductis ſupra pro ratione decidendi deciditur, judicem delegatum, ut majorem, in cauſa ſibi ſpecialiter demandata procedere poſſe, licet quoad alia Legatus eo major ſit. Nec obſtat ſecunda difficultas; nam magna differentia verſatur inter caſum in ea expenſum, videlicet cum judex delegatus ab Epiſcopo ſententiam profert, quo caſu ad vicarium Epiſcopi poteſt appellari; & ſpeciem in præſenti deciſione propoſitam, ubi delegatus Pontificis ſententiam profert, quo caſu ad ejus Legatum appellari non poteſt. Differentiæ ratio in eo conſiſtit, nam vicarii Epiſcopi, & ipſius idem eſt tribunal, *c.* 2. *de conſuetud. l.* 6. unde ſi appelletur ad Vicarium, perinde eſt ac ſi appelletur ad Epiſcopum; at vero Legati, & Pontificis non eſt idem tribunal, ſeu judicium; ſiquidem a Legato appellatur ad Pontificem, ut paſſim *in hoc tit.* docetur. Deinde quia delegatus in cauſa ſibi commiſſa major eſt quocumque Legato; delegatus vero Epiſcopi non eſt major ejus Vicario, ut docet Narbona *d. q.* 1. *de appell. a Vicario, n.* 151. Unde poteſt appellari a ſententia delegati Epiſcopi ad ejus Vicarium. Nec argumentum hujus difficultatis refragatur; nam confirmatio ſententiæ a delegato prolatæ, quæ Legati in præſenti permittitur, non eſt judicialis, ſeu authorizabilis cum cauſæ cognitione, ſed tantum collaudatio, ſeu commendatio ipſius ſententiæ, ut poſt Gloſſam *in præſenti*, docent Abbas, Butrius, & Zabarella. 6 Reſpondetur difficultatibus.

Superiori aſſertioni primo adverſatur textus *in c. ad petitionem* 22. *de accuſ.* ubi refertur, cauſam electionis Abbatis Corvienſis certis judicibus fuiſſe delegatam, & Cardinalem Legatum a latere Romanæ Eccleſiæ lite jam conteſtata coram delegatis, in ea proceſſiſſe uſque ad ſententiam diffinitivam, per quam ipſum Abbatem Abbatia ſpoliavit. Cum Abbas conqueſtus eſſet coram Innoc. III. & propoſuiſſet prædictum Legatum in cauſa jam judicibus demandata procedere non valuiſſe, & ipſum jam recuſatum ſententiam dixiſſe: Innocentius ſententiam a Legato prolatam confirmavit, Abbatem Abbatia prædicta privando. Ex qua Innocentii deciſione ita adverſus noſtrum Clementem inſurgo. Si Legatus non poſſet de cauſa ſpecialiter judicibus delegata cognoſcere, in ea ſpecie Pontifex irritaret omnia geſta a Legato, tamquam ab incompetenti judice, & juris ordine non ſervato, ipſumque Abbatem injuſte ſpoliatum reſtitueret, juxta tradita a Pereyra *de manu Regia t.* 1. *c.* 4. *n.* 7. Sed Innocentius potius confirmavit geſta ab ipſo Cardinali Legato, quam irritavit: igitur quia Legati poſſunt cognoſcere de cauſa etiam judicibus ſpecialiter commiſſa. Difficultatem agnoverunt Gloſſa *in eo textu, verbo Reſtituendus, & verbo Providimus*, Innocentius & Anania *num.* 2. qui ut ab ea ſe expediant, docent Innocentii ſententiam ſola plenitudine pote- 7 Exponitur c. ad petitionem, de appell.

poteſtatis niti, & Principem poſſe judicare ſola veritate attenta, omiſſo judiciorum ordine. Sed ab his recedendum eſt, cum non facile credendum ſit, Pontificem voluiſſe juris ordinem relaxare, atque ex abſoluta poteſtate in cauſa illa procedere. Minuſque exaudiendus eſt Butrius in eo textu, dum docet, ſententiam Pontificis juſtificari ex actis geſtis ante recuſationem; quia hæc ſententia manifeſtam continet divinationem, & convincitur ex ſupra traditis, quia per præventionem factam a judicibus delegatis incompetens effectus fuit. Quare his ſolutionibus omiſſis dicendum eſt, Innocentium III. in eo textu juſte, & legitime confirmaſſe privationis ſententiam a Legato prolatam, juxta regulam textus *in c. in cauſis 19. de re judicata*, quia in inſtantia appellationis coram ipſo Pontifice fides facta fuit criminum, quæ coram Legato objecta, & probata fuerant contra Abbatem ſpoliatum, ut patet ex verſiculo, *Cum igitur*, ejuſdem textus: unde non imponitur pœna privationis, neque confirmatur electio ſecundi Abbatis propter acta geſta prætermiſſo judiciorum ordine, ſed propter acta legitime ordinata in appellationis inſtantia: quæ praxis recepta eſt ex traditis a Bartolo *in l. ut quærebantur, in fine, ff. de re judicata*, Valaſco *in praxi part. c. 39. nu. 74.* Unde non recte ex eo textu deducitur, Legatum poſſe de cauſa aliis delegata cognoſcere.

8 Explicatur c. per hoc 17. de hæret. l. 6. Secundo opponitur ſupra traditis textus *in c. per hoc 17. de hæret. l. 6.* ubi deciditur, in cauſis fidei judicibus ſanctæ inquiſitionis ſpecialiter a Pontifice commiſſis, etiam judices ordinarios procedere; igitur Legati, etiam tamquam ordinarii poſſunt cognoſcere de cauſis aliis judicibus ſpecialiter delegatis. Pro hujus difficultatis ſolutione ſciendum eſt, olim antequam ſanctæ Inquiſitionis tribunalia erecta eſſent, Epiſcopos ut Ordinarios judices contra hæreticam pravitatem in ſubditos adverſus exemptos ut delegatos proceſſiſſe, *c. ad abolendam, de hæreticis*: late probat Fileſacus *in c. 1. §. 5. & 6. de officio ordinarii*, & nos *in c. 13. de hæreticis*. Poſtea tamen ob varias Epiſcoporum curas hæc cauſarum fidei cognitio delegari cœpit certis judicibus, juriſdictione illis conceſſa, non privative, ſed cumulative cum ipſis ordinariis, ita ut Inquiſitores per ſe, Epiſcopi etiam ſeorſim, & ſeparatim poſſent reos ipſos capere, cuſtodiæ mancipare, & contra illos inquirere. *Clem. 1. de hæret. extravag. ex eo, eod. tit.* Docent late Eymericus *in direct. inquiſ. 3. p. qu. 51.* ubi Penna *comment.* 100. Farinacius *de hæreſi, q. 186.* Caſtro Palao *in opere morali, tr. 4. diſp. 8. punct. 13.* ad quæ tempora referendus eſt textus *in d. c. per hoc 17.* ut docent Sahagun *in c. 1. de reſcriptis, n. 40.* Anſaldus *de juriſd. 2. p. tit. 2. §. unic.* Illuſtriſſimus Manrique *annal. Ciſterc. anno 1204. c. 3. n. 8.* Unde cum per delegationem illam cauſarum fidei non ſubtraheretur earum cognitio ab Ordinariis, ſed cumulative concederetur, ideo Legati neglectis Ordinariis poterant in cauſa procedere. Hodie tamen licet illius textus praxis recepta ſit in aliis tribunalibus, in Hiſpania tamen, & Luſitania contrarium obſervatur: tantum enim Inquiſitores capiunt reos in cauſis fidei, & contra eos inquirunt; imo ſi aliqua acta ſint confecta ab Epiſcopis, tenentur ea tranſmittere Inquiſitoribus, ut referunt Molina *de juſtitia, t. 6. diſp. 28. n. 13.* Carena *de officio Inquiſit. part. 1. tit. 4. §. 3.* Tempore tamen ſententiæ proferendæ adeſt ordinarius ipſius rei, aut ſi certum ordinarium non habet, ille in cujus diœceſi captus fuit, & ſuffragium præſtat diffinitivum in ipſa cauſa, ut quotidie uſitatum vidi in hoc Pinciano Tribunali.

Tertio adverſatur textus *in c. ſignificaſti 6. de officio ordinarii*, ubi proponitur, in cauſa conſanguinitatis certis judicibus commiſſa, licere Ordinario ejus cognitioni ſe ingerere, & abſolutos ab ipſis judicibus delegatis excommunicare: igitur licebit etiam Legatis Sedis Apoſtol. immiſcere ſe cognitioni illius cauſæ, quæ judicibus delegatis jam commiſſa erat. Pro cujus difficultatis ſolutione repetentes, & Fileſacus in eo textu, Abbas Siculus, & Cardinalis in præſenti affirmant, quod licet Legati, aut Epiſcopi non poſſent de cauſa ſpecialiter delegata cognoſcere; tamen eos poſſe ſupplere negligentiam, & punire dolum ipſius delegati; ideoque in eo textu ordinarium non jure proprio, ſed ut negligentiam judicis delegati ſuppleret, in cauſa proceſſiſſe. Sed hanc doctrinam ita generaliter traditam refellit Angujanus *de legibus d. l. 3. c. 33.* quare ea ſolutione omiſſa, verius dicendum textum illum ſpecialiter procedere in caſu ibi propoſito, cum videlicet abſolutio a delegatis facta in perniciem animarum vergebat, quarum ſalus curæ, & ſolicitudini Epiſcoporum commiſſa erat: quare in ea ſpecie potuit Ordinarius ſupplere malitiam, & negligentiam ipſius delegati. Ita textum illum accipiunt Angujanus *ubi ſup. n. 43.* Balboa *in c. cum non ab homine, n. 19. de judiciis.* 9 Intelligitur c. ſignificaſti, de off. ordin.

C A P U T III.

a Innocentius III. *tit. S. Laurentii in Lucina Presbytero Card. Apoſt. Sed. Legat.*

NIſi ſpecialis illa dilectio, quam ad perſonam tuam habuimus, & habemus, juſtum motum animi noſtri temperaret, pœna docente cognoſceres, quantum exceſſeris, qui ſpretis canonicis ſanctionibus, & conſuetudine generali, motu proprio præſumpſiſti Trojanum Epiſcopum a Trojana Eccleſia ad Panormitanam de facto transferre.

N O T Æ.

a INnocentius III.) Hujus textus integram, & veram hiſtoriam retuli *in c. niſi ſpecialis, de renunt.* ubi extat alia pars hujus epiſtolæ, & commentarium dedi *in c. 1. de translat. Epiſcopi*.

C A P U T IV.

a Idem *eidem*.

QUod translationem Pontificis de Trojano Epiſcopatu ad Panormitan. Metropolim a te factam ratam nolumus habere, zelus utique rectitudinis, non amaritudinis nos induxit; quia licet in Regno Siciliæ generalis ſit tibi commiſſa legatio, ad ea tamen ſine ſpeciali mandato non debuiſti manus extendere, quæ in ſignum ſingularis privilegii ſunt Summo Pontifici reſervata; tamen etſi quædam ex his, quæ de ſpeciali conceſſione ſæpe fuere Legatis indulta, ut illorum videlicet abſolutio, qui propter ſacrilegas manuum injectiones in clericos incidunt in canonem ſententiæ promulgatæ, videantur ex ipſo legationis officio jam *b* licere Legatis; an exiſtimas, quia vices noſtras tamquam Legato tibi commiſimus exequendas, quod *c* Panormitanæ Eccleſiæ poſſes ſubjicere Meſſanen. ut illam iſti præficeres, conceſſo ſibi privilegio Primatiæ? An putas ex eadem cauſa tibi licere duos Epiſcopatus unire, vel unum dividere ſine licentia ſpeciali? Non ergo in ejus odium, vel ad injuriam tuam reputes eſſe factum, cum etiam felicis mem. Alexander Papa prædeceſſor noſter quaſi ſimile fecerit obviando præſumptioni Legati, quem in Hiſpania deſtinarat, volenti ſimile attentare.

N O T Æ.

a IDem.) Etiam hujus textus inſcriptionem expoſui *in d. c. niſi, de auctoritate, & uſu pallii*.

b *Licere Legatis.*) Ut dicemus infra *in c. excommunicavim.*

c *Panormitanæ Eccleſiæ.*) Hæc epiſtola in his verbis valde difficilis viſa eſt Siculis Scriptoribus. Sed ut hiſtoria facilius perpendatur, libet facti ſeriem ex Abbate D. Rocho Pirro repetere, qui ita ait: (Hæc epiſtola gravi controverſiæ inter recentiores Auctores anſam dedit; ubi enim nos legimus: *An exiſtimas, quod Panormitanæ Eccleſiam poſſes ſubjicere Meſſanenſem?* legendum alii malunt: *An exiſtimas, quod Panormitanam Eccleſiam poſſes ſubjicere Meſſanenſi?* Imo in aliquot Decretalium Gregorii IX. exemplaribus ita reperies; ſed occaſionem diverſis, imo oppoſitis ſane ſententiis præbuit vetus editio; nam in vetuſtiſſimis omnibus codicibus, & in aliquot etiam poſtremæ editionis non omnes ſunt appoſitæ litteræ nonnullarum vocum, ſed nomina in compendium redacta, & brevitatis cauſa, ut ſit, decurtata, paucis characteribus exprimuntur ea forma, quam ſubjicio: *An exiſtimas, quod Panorm. Eccleſiam poſſes ſubjicere Meſſan.* ubi poſt *Panorm.* non eſt primus, ut forte cuipiam videtur, ejus nominis caſus, ſed compendium eſt per apocopen vocis *Panormitanæ*. Id apertiſſime ſuadet ipſa Pontificiæ orationis conſecutio, & colligatio: ecce enim quam ſubjiciat Pontifex ejuſdem periodi partem, *Ut illam iſti præficeres*. Age vero, quis vel primoribus, (ut ajunt) labiis Latini ſermonis attigit latices, cui non conſtet in hac poſtrema periodi parte pronomen, *illam*, mentis oculis ſubjicere, quod longius diſtat ſubſtantivum, Panormitanam, ſcil. Eccleſiam; aliud vero pronomen *iſti*, Meſſanenſem Eccleſiam in memoriam revocare? Qui aliter velit, is profecto potius dicendus erit ineptus, quam ut ineptam Pontificis locutionem afferamus; ſin vero hæc ita ſint, ut altera periodi pars primæ cohæreat, *Panormitanæ* certe legendum erit, de qua ſcilicet dicitur, quod illam præficere voluerit? alioqui turpiter in una, & eadem periodo oppoſita concludens, Panorm. Eccleſiam Meſſanenſi ſubjectam, & Panormitanam Eccleſiam Meſſanenſi prælatam dixiſſet Pontifex. Quod ſi nonnulli legiſſe hactenus videntur *Panormitanam*, Id inde factum eſt, quod dictionem illam, *Panorm.* non advertentes vocis eſſe compendium, primum ejus nominis caſum eſſe crediderint, vel quod ſublatus eſſe apex, qui ſyllepſis

hujuſmodi, ut plurimum eſt index, vel quod per errorem Typographi in mediam periodum irrepſiſſe exiſtimaverint, cum abſque eo recte primo aſpectu videretur conſtare ſententia: traxit forte etiam ad errorem propinquitas illa dictionis *Eccleſiam*, cui proximum rati ſunt conſentire debere nomen, rem penitus non perpendentes: ceterum facile unus deinde codex errorem hauſit ab alio: quæ etiam cauſa fuit, ut juris Interpretes plerique in eum locum ea ratione præbeant quæſtioni argumentum, perinde quaſi Panormitanam Eccleſiam Meſſanenſi Legatus ſubdidiſſet; ipſi enim cum in eo toti ſint, an ſuo jure Legatus aliquam Eccleſiam alteri ſubjicere queat, neglexiſſe videntur, an in litteris Pontificis diceretur, quod Meſſanenſis Eccleſia infra Panormitanam, vel quod contra Panormitana infra Meſſanenſem conſtituta ſit: ad rem enim, quam ipſi ibi pertractant, perinde eſt, quoquo tandem modo id acciderit: & quamquam adverterint plerique, legendum eſſe, *Panormitanæ*, quod non ſentimus; prudentiæ tamen fuit, cum lectorum commodo conſulentes quæſtionis argumentum nihil inverterunt, ſed in eo, qua ratione fuerat ab aliis conſtitutum, verſati ſunt, moleſtiam certe non exhibere lectoribus, qui recentiores ſcriptores cum veteribus committunt, ſi vel leviter ab antiquis receſſiſſent Interpretes novi. Si ergo quæramus, an Cencius Meſſanenſem Eccleſiam Panormitanæ, an Panormitanam Meſſanenſi ſubdiderit, non ab Juriſconſultis petenda ſunt ſuffragia, qui quod ad hiſtoriam ſpectat, alii ab aliis accepere, parum ſoliciti, quonam modo ſe res habuerit: ſed oratio ipſa Innocentii, & totius epiſtolæ tenor, ac conſecutio; ſcriptores item, qui illa, unde hæc pendent, enarrant, conſulendi ſunt. Cencius Legatus in Siciliam cum exercitu Pontificis juſſu venerat Marcovaldum Siculo imperio inhiantem profligaturus; Fridericum puerum, ne Regno dejiceretur a perduelle, venerat defenſurus: teſtis eſt ipſe Innocentius *in ep. 210. l. 2.* quam refert Bzovius *ad annum 1199. n. 12.* Cum idem ergo Cencio, & Gualterio eſſet hoſtis: iidemque regni fines in ejuſdem Friderici Regis fide continendi eſſent, mutuam profecto hominum gratiam, neceſſitudinemque prærpoſitus labor, eademque ſtudia conciliarunt. Erat Gualterius Friderico conſanguinitate propinquus; tutelæ ab Innocentio demandatæ onus libens ſuſceperat, a Marcovaldi perfidia quam longiſſime abhorreret, reipſa oſtenderat; quid ergo Legato Cencio in Friderici defenſione commodius unquam potuit accidere, quam tanti viri totius Siciliæ, & Apuliæ Cancellarii ad Marcovaldum debellandum gratia uti, ac amicitia? In quas ille difficultates bellorum incidiſſet, ſi alterum adverſus ſe, tantumque hoſtem adſciviſſet? Quantam Pontificis incuriſſet offenſionem, ſi ab Friderici fide Gualterium avertiſſet? Imo vero adeo Cencius Gualterii gratiam inire ſtuduit, noviſque in dies amoris ſignificationibus hominis benevolentiam demereri, ut illum e Trojano Epiſcopo, neque expectata Pontificis facultate, Panormitanum fecerit Archiepiſcopum. Jam vero erat per hæc tempora Meſſanenſis Antiſtes Berardus, quem Bonfiglius Bertium vocat: is vero fuit in primis Marcovaldo addictiſſimus, adeo ut Meſſana Romam contenderit ab Cæleſtino Pontifice pro illo deprecaturus. In eccleſiaſticam item excommunicationis, & ſuſpenſionis pœnam incidiſſe, Marcovaldi partium ſectatoribus intentatam, liquet ex epiſtola 60. Inn. *l. 5.* cujus meminit Bzovius. Age jam, æquum hic lectorem velim. In animum quis unquam inducat, Cencium Legatum cum Gualterii opera, induſtriaque indigeret, cum hominis gratiam ſibi, maxime collato Archiepiſcopatu, conciliare ſtuduit. Panormitanam Eccleſiam de ipſo Friderico benemeritum, cui Gualterium nuper præfecerat, Eccleſiæ alteri voluiſſe ſubjicere, ac Meſſanenſi præſertim, ubi plurimi Marcovaldo ſeſe adjunxerant perduelli, ubi Berardus eſſet Antiſtes, tam egregius illius fautor, ut Pontificia lætus anathemata exſorberet potius, quam a cœptis deſiſteret? Adeone prævaricatus eſt Legatus in graviſſima, quam præ manibus habebat, cauſa a Pontifice demandata? Nonne merito in proditionis ſuſpicionem veniſſet Cencius, qui Friderici conſanguineum, tutorem, defenſorem egregium premens, eos qui in hoſtium partibus cenſerentur, evexiſſet ad faſtigium dignitatum? Quam ergo acriter, quam vehementer, quam impotenter in Cencium inveheretur Innocentius, ſi Regnum Siculum, ſi Fridericum puerum eo facinore vidiſſet in diſcrimen adductum? Orationem hic cohibeam, ne declamare videar; ſed illud paucis adjiciam, epiſtolæ clauſulam meæ cauſæ maximæ adſtipulari; hæc enim ibi lego: *Non in ejus odium, vel ad injuriam tui reputas eſſe factum, ſed ut privilegium Petri maneat inconcuſſum*. Eam hic amovet ſuſpicionem Pontifex, noluiſſe ſe quæ geſſiſſet Legatus, rata habere, ejus Gualterii, de quo ad calcem uſque epiſtolæ egerat, odio ductum. Atqui nulla futura fuiſſet odii ſuſpicio in Innocentio, ſi Gualterium Panormitanum Præſulem Meſſanenſi ſubdidiſſet Cencius, eique rei non annueret Pontifex; ſed gratiam potius illius iniviſſet Innocentius, ſi ab ea illum poteſtate exemiſſet. Totius ergo (ut dicebam) epiſtolæ tenor, atque connexio requirit, ut in hanc formam Innocentii verba proferantur: *An exiſtimas, quia vices noſtras tamquam Legato tibi commiſimus exequendas, quod Panorm. Eccleſiam poſſes ſubjicere Meſſanenſem, ut illam iſti præficeres*. Ex quibus nihil eſt, quod admodum gaudeant Meſſanenſem Bonfiglius, & Piccolus, aliique. Percepit fortaſſis animo quiſpiam me illuc in præſentia collimare, ut Meſſanenſem Eccleſiam ſubjectam quoque Panormitanæ fuiſſe oſtendam; ſed alio me vocat ſtudium veritatis. Ut ergo; quod ſentio, in medium proferam, nihil Panormitanos ajo, me judice, pro ſuæ Eccleſiæ prærogativa; ex hac epiſtola nihil Meſſanenſes pro ſua poſſe repetere. Cum enim reſcripſiſſet Cencius, Gualterium in Panormitana Cathedra pro Legati, qua fungebatur, auctoritate conſtituiſſe, rationem illam perſtringere, atque elidere conatur Pontifex ſuis in litteris. An forte, inquit, quod noſtras vices tibi demandaverimus, & legationis jura dederimus, poteris etiam unam Eccleſiam alteri ſubjicere, Epiſcopatum unum in duos partiri, vel duos in unum unire? Hujus vero dicti hæc certiſſima eſt ſententia, quam explicare non pigeat. Licet Cenci, in meæ fis legatione; liquet profecto, te Eccleſiam quampiam, verbi cauſa Meſſanenſem Panormitanæ ſubjicere haud poſſe; conſtat plane duos per te Legatum Epiſcopatus coaleſcere, vel unum in partes ſejungi haud poſſe: haud abſimili igitur ratione, quamquam Legationem meam in Sicilia obeas, haud licuit tibi Epiſcopum ex una in alteram transferre Eccleſiam; pleraque enim ſunt, quæ peculiarem deſiderent a Pontifice poteſtatem, nec cum Legationis jure eorum facultas demandatur. Ut igitur ex iis Innocentii verbis nemo id eliciat, quod duos conjunxerit Epiſcopatus, vel unum ſejunxerit Cencius; ita plane nec quempiam Eccleſiam alterius ſuffraganeam conſtitutam. Hæc vero interpretatio ita ſine obice fluit, ni fallor, ut ſi eam initio propoſuiſſem, haud dubium ſit, quin omnibus arriſiſſet. Qua de cauſa ab eo labore ſuperſedere forte poteramus, dum oſtendimus legendum eſſe *Panormitanæ*, non *Panormitanam*, in Innocentii litteris. Volui tamen eam ſtatuere diſceptationem, ut hanc libentius Meſſanenſes meam amplecterentur ſententiam; nimirum, quia niſi illis placeat, id ipſis diſcrimen impendet, ut Meſſanenſem Eccleſiam ſubjectam olim a Legato, ſive jure, ſive injuria, Panormitanæ fuiſſe concedant; ſi enim hæc verba non ad exempli gratiam afferrentur a Pontifice, ſed rem a Legato geſtam declararent, evincunt profecto collatam olim Panormitanæ Cathedræ poteſtatem a Legato in Meſſanenſem Eccleſiam; cum tamen ipſe integram, germanamque periodum Innocentii non tam reſtituerim, quam oſtenderim, plaudente ipſa epiſtola, hiſtoriis, & (quæ humanæ mentis domina eſt) ratione. Cum ergo acquieſcere nollet Innocentius, ut in Panormitana Eccleſia ſederet Archiepiſcopus Gualterius, de quo hactenus, Caſtinenſis illi traditur Præſulatus, quod ſuadet epiſtola Innocentii, qua utitur Lellus *2. p. §. 81. fol. 46.*) Hactenus D. Rochus Pirro. Quæ ad hujus textus interpretationem, & commentarium ſpectant, adduxi *in c. 1. de translat. Epiſcopi*, & proſequuntur Solorzanus *t. 2. de jure Indiar. l. 3. cap. 5.* Frances *de Eccleſ. Cathed. c. 3. ex n. 24.*

C A P U T V.

Idem a *Barentin. Epiſcopo & Marſican. Capellano, & Subdiacono noſtro.*

LIcet *b* Tran. Canonici ab initio diſſenſiſſent, tandem tamen omnes unanimiter conſenſerunt, dil. f. G. fratrem *c* Caſſin. Abbatis in Archiepiſcoporum eligentes, cujus electionem ven. f. n. *d* P. *e* Portuen. Epiſcopus, tunc Sed. Ap. Legatus *f* examinari præcepit, & examinationem redactam ſcriptis fecit ſigillis dilecti filii Archidiaconi, & Magiſtri Petrach muniri, cum ſuo quoque ſigillo ad Sed. Ap. tranſmittendam: litteras quoque ſuas nobis pro fratre dicti Caſſin. Abbatis deprecatorias deſtinavit, quas cum decreto electionis omnium Canonicorum ſubſcriptionibus roborato, necnon & litteris *g* ſuffraganeorum, & *h* populi, tres de Canonicis Tranen. Eccleſiæ ab univerſo Capitulo deſtinati nobis humiliter præſentarunt, petentes electionem canonicam de perſona idonea celebratam, auctoritate Apoſtolica confirmari. *i* Nos autem ad majorem cautelam a præfatis Canonicis juramentum recepimus, non a nobis exactum, ſed ab illis oblatum; & factum electionis, ſicut eſt moris, & juris examinavimus diligenter. Iterum vero nuntius præfati Caſſin. Abbatis ſuas nobis litteras præſentavit, gravem contra jamdictum Legatum querimoniam continentes, quod poſtquam electionem examinaverat, & eam ad noſtræ deliberationis examen tranſtulerat, nuntiis jam directis eandem electionem malitioſe nimis *k* examinare præſumpſit. Unde petebat per viros idoneos ſuſpicione carentes de ipſo facto inquiri. Cumque præfatus ſuperveniſſet Epiſcopus, & ea, quæ geſta ſunt, intellexiſſemus ab ipſo, de conſilio fratrum noſtrorum examinationem ſecundam, tamquam a non ſuo judice factam, poſtquam negotium ad noſtrum fuerat tranſlatum examen cenſuimus irritam, & inanem.

BIBLIOTECA CENTRAL

NOTÆ.

a BArentin.) Ita legitur in tertia collectione, *ſub hoc tit. c.* 3. in ſexta autem collectione legitur, *Bonon.* ſed perperam, cum cauſa, quæ in præſenti textu refertur, contigiſſet in provincia Apuliæ, Bononienſis autem Eccleſia ſit in provincia Æmiliæ, unde committi ejus cognitio non poterat Bononienſi Præſuli. Legendum ergo eſt, *Barrienſi Epiſcopo*. Barrium enim, vulgo *Barri*, eſt civitas Epiſcopalis in Apulia, juxta Tranenſem civitatem, cujus Epiſcopus Concordius appellatus ſubſcripſit Concilio Romano celebrato ſub Hilario, ut refert Carolus a S. Paulo *in Geogr. ſacra*, *pag.* 58. Hujus ergo Eccleſiæ Præſuli, & M. Capellano, & ſubdiacono Romanæ Eccleſiæ delegavit Innoc. præſentem cauſam electionis Tranenſis Archiepiſcopi.

b *Tran.*) Tranum, vulgo *Trani*, eſt urbs Apuliæ, cujus Epiſcopus Eutychius ſubſcripſit Concilio Romano 3. ſub Symmacho. Eſt Eccleſia Metropolitana, habetque tres Eccleſias ſuffraganeas.

c *Caſſin. Abbatis.*) Petri videlicet II. qui poſtea ab Innocentio III. creatus fuit Presbyter Cardinalis: fuit ordine 64. Abbas ampliſſimi, & perilluſtris monaſterii Caſſin. ut referunt plura adducentes de ſitu, & magnitudine Caſſinenſis monaſterii Yepes *t.* 1. *chron. D. Benedicti*, *anno* 529. *c.* 4. Cornel. *in notis ad Gongoram*, *t.* 4. *pag.* 430.

d *P.*) Petrus Galocia Portuenſis Epiſcopus, creatus Cardinalis a Clemente III. menſe Septembri, anno 1190. qui deceſſit temporibus noſtri Innocentii anno 1211. ut refert Ughellus *in ſerie Præſulum ipſius Eccleſiæ*, *t.* 3. *Italiæ ſacræ*.

e *Portuenſis.*) Civitas Portuenſi non longe ab Oſtia eſt ad Tyberis dexteram: diſtat ab Urbe Romana per 18. milliaria: ſecundam Epiſcopalem Cathedram obtinent Pontifici immediate ſubjectam, cujus Præſul Senatoria purpura decoratus in Baſilica Lateranenſi feria 3. ſacra peragit, ut refert Ughellius *ubi ſup.*

f *Examinari.*) Juxta ea, quæ late adduxi *in c. poſtquam*, *de elect.*

g *Suffraganeorum.*) Qui electioni, & ordinationi ipſius Archiepiſcopi, tamquam Metropolitani intereſſe debebant, ut probavi, *in c. ſi Archiepiſcopus*, *de temporib. Ordin.*

h *Populi.*) Supplicantis, non eligentis, ut expoſui *in c.* 2. *de elect.*

i *Confirmari.*) Poſt electionem enim legitime celebratam ſequitur Pontificis confirmatio, ut probavi *in d. c. ſignificaſti*, *de elect.*

k *Examinare.*) Id eſt novum ſcrutinium facere; examen enim in præſenti accipitur pro ſcrutinio, ut jam notavit Cironius *ad tit. de ſcrut. in ordin. faciendum.*

COMMENTARIUM.

3 Concluſio probatur. EX hoc textu talis depromitur concluſio: *Facta relatione ſuperiori, judex qui retulit, aliquid innovare ea pendente non poteſt.* Probant textus *in c.* 1. *verſ. Nam ſi tale*, 20. *diſt. c. nomen presbyteri* 2. *q.* 1. *c. biduum*, *in fin.* 2. *quæſt.* 6. *c. multum ſtupeo* 3. *qu.* 6. *c. denique* 6. *qu.* 3. *c. bonæ* 4. §. *nec obſtat*, *de poſtul. Præl. c. dudum* 22. *c. cum in veteris* 51. *de elect. c. Eccleſia* 4. *ut lite pendente*, *c. intimaſti* 68. *de appel. l. inter* 6. §. 1. *ff. de interdictis*, *& relegatis*; *l. ex illo* 13. *C. de appel. l.* 2. *C. de relationibus*, *l.* 2. *C. Theod. eod. tit. l.* 2. *C. ut lite pendente*, juncto Merillo *l.* 2. *obſ. c.* 7. Conſonat de jure Regio lex 35. *tit.* 3. *l.* 1. *recop.* Illuſtrant ultra congeſtos a Barb. *in præſenti*, *& l.* 1. *juris eccl. c.* 5. *n.* 83. Speculator *p.* 2. *l.* 2. *tit. de relationib.* §. 5. Vantius *de nullit. tit. ex defectu ſententiæ*, *n.* 143. Lancellotus *de attentatis*, 2. *p. c.* 8. *per totum*, Maranta *de ordine jud. actu* 2. *ult. partis*, *n.* 10. Narbona *in d. l.* 35. *gloſſa* 6. Donel. *l.* 28. *comment. c.* 7. Ciron. *l.* 2. *obſ. c.* 16. Gutherus *l.* 1. *de officiis domus*, *c.* 27. D. Nicolaus Antonius *de exilio l.* 2. in fine Briſſonius *l.* 3. *de formulis*, Salgado *de protect.* 1. *p. c.* 7. *n.* 7. Petrus Greg. *l.* 5. *part. tit.* 14. *c.* 2. Hunnius *in encyclop. p.* 2. *tit.* 35.

4 Ratio dubitandi. Sed adverſus hanc aſſertionem communiter a repetentibus ex hoc textu deductam inſurgi poteſt ſequenti juris conſideratione. Actus extrajudiciales non inducunt attentata, nec ſuſpendunt juriſdictionem judicis ordinarii; unde appellatio, quæ in judicio interpoſita inducit attenta, *c.* 1. *cum vulgatis*, *de appel.* ſi extra judicium interponatur, effectum ſuſpenſivum non operatur, imo ea non obſtante, judex a quo valide in cauſa procedit, *d. c.* 1. *c. conſtitutus*, *el* 2. *de appel.* Docent Lancellotus *de attentatis*, 2. *p. c.* 12. *limit.* 3. Salgado *de protect.* 2. *p. c.* 13. *per tot.* Moneta *de commut. c.* 8. *n.* 583. *& de conſerv. c.* 9. *q.* 2. Sed relatio, quæ Pontifici facta fuit in præſenti, extrajudicialis erat, ſiquidem Legatus extra judicium retulit ſtatum electionis Prælati Tranenſis: igitur per eam fuit ſuſpenſa juriſdictio ipſius Legati. Augetur hæc difficultas ſequenti ratiocinio; nam ſi relatione facta ſuperiori non liceret aliquid innovare, ſequeretur quod nec partes ea pendente poſſent appellare: ſed procurare valent, *l.* 1. §. 1. *ff. de appell.* igitur quia per relationem non ſuſpenditur ſtatus cauſæ relatæ. Facit etiam contra præſentem aſſertionem textus *in l.* 9. *tit.* 14. *l.* 4. *recop.* ubi ſtatuitur, quod quando Princeps jubet Magiſtratui inferiori, ut ſtatum alicujus cauſæ referat, non proinde in ejus cognitione ſuperſedere debet, niſi ſpecialiter ſuſpenſio illi injungatur: igitur quia per relationem non ſuſpenditur cauſæ cognitio.

5 Relatio quid? Hæc difficultate minime obſtante vera eſt præſens aſſertio, pro cujus expoſitione ſciendum eſt, relationem apud Vopiſcum, Dionem, Svetonium, Tacitum, hiſtoriæ Auguſtæ ſcriptores, accipi pro oratione in Senatu habita a Principe Conſulibus, quibus datum erat jus cogendi Senatum, dum rem in Senatu decernendam proponebant. Tacitus *l.* 2. *annal.* de qua relatione accipiendum eſt, quod refert Vopiſcus *in Probo*, videlicet Principibus jus tertiæ relationis datum fuiſſe: & apud Capitolinum *in Pertinace* Imperatorem Pertinacem jus quartæ relationis obtinuiſſe: Svetonium *in Auguſto*, *c.* 78. M. A. adhuc Cæſarem jus quintæ relationis adeptum fuiſſe: quæ hiſtoriæ Auguſtæ teſtimonia exponunt poſt Caſaubonum, Salmaſium, & alios hiſtoriæ Auguſtæ Scholiaſtas Gutherus *l.* 1. *de officiis domus Aug. c.* 41. Bulengerus *l.* 1. *de Imp. c.* 15. Ciron. *l.* 2. *obſerv. c. ult.* In præſenti autem relatio accipitur pro conſultatione facta inferiori ad ſuperiorem. Relatio enim, & conſultatio perinde ſe habent, ac continens, & contentum, & promiſcue accipiuntur in Digeſtis, & Cod. tam Juſt. quam Theod. de rationibus, & conſultationibus. Quas relationes ad Principes mittebant Præſides provinciarum, & ipſi Præfecti Prætorio, quando dubiæ litis occaſio id exigebat. Quem relationum morem a Plinio ſecundo cum ad ordinandam Bithiniam, & Pontum a Trajano Principe miſſus eſſet, frequenter uſurpatum fuiſſe legimus *l.* 10. *ep. ipſius*. Relatio igitur fit a minori Magiſtratu ad ſuperiorem, quoties ſententiam ferre non audens, cauſam ſuperiori refert. Non per omnia relatio appellationi ſimilis eſt, nec in omnibus ab ea differt. Similis eſt appellationi, quia ſicut appellatione pendente nihil innovari valet, *c.* 1. *cum vulgatis*, *de appel.* ita relatione facta Principi, vel ſuperiori, nihil eſt innovandum ex hoc textu, & aliis ſupra adductis. Differt autem relatio ab appellatione primo in eo, quod appellatio interponitur a partibus, relatio vero fit a judice; *l.* 2. *C. de officio Vicarii*, ibi: *Relationes judicum libenter audivimus*. Secundo appellatio tantum interponitur poſt ſententiam, *l. ult. C. de ſent. & interl. cum lib. ult. C. quorum appellationes*, Symmachus *l.* 10. *ep.* 29. *Verecunde potius, quam juſte ſuſcepi provocationem, non ſtante ſententia*. Relatio autem fit ante ſententiam, *c. intimaſti*, *de appell.* & poſtea antequam executioni mandetur, *l.* 10. *&* 34. *C. de appell. in Theod.* maxime in publicis, & extraordinariis judiciis; cujus relationis exemplum habemus in actis Apoſt. *c.* 25. cum Palus ſervatus eſſet Cæſaris cognitioni, quem appellaverat, Agrippa Paulum audire concupivit, jubente Feſto adductus eſt Paulus, ibi: " Cum Agrip-
" pa, & Berenice in auditorium introiſſent cum Tribunis, &
" viris principalibus civitatis, jubente te Feſto adductus eſt
" Paulus. Et dixit Feſtus: Agrippa Rex, & omnes, qui ſi-
" mul adeſtis nobiſcum viri, videtis hunc hominem, de quo
" omnis multitudo Judæorum interpellavit me Hieroſolymis,
" petentes & acclamantes, non oportere eum vivere amplius:
" ego vero comperi nihil dignum morte eum admiſiſſe. Ipſo
" autem hoc appellante ad Auguſtum, judicavi mittere. De
" quo quid certum ſcribam domino, non habeo: propter quod
" produxi eum ad vos, & maxime ad te, Rex Agrippa, in-
" terrogatione facta, habeam quid ſcribam. Sine ratione enim
" mihi videtur mittere vinctum, & cauſas ejus non ſignifica-
" re. " Deinde pluries relatio fieri poteſt, *l.* 37. *C. Theod. de appell.* appellatio autem in eadem cauſa tertio non eſt admittenda, *c. ſua*, *de appell.* notavit Cironius *d. l. obſ. c.* 16 in appellatione cognoſcit, & pronuntiat judex ad quem appellatur; ad relationem reſcribit Principes, ſeu Quæſtor ſacri Palatii, *l. jubemus*, *C. de appell. l.* 34. *eod. tit. Theod.* quo ſpectant Symmachus *l.* 10. *ep.* 62. *Poſt crebras cognitiones, & reſcripta ad relationem numeroſa*. Poſſidius *in vita S. Auguſtini*, *c.* 12. *Cum ingratus ad piiſſimum Principem provocaſſet, ab Imperatore relationi debitum eſt reſponſum ſolutum, & conſequutum præceptum*. Notavit Juretus ad Symmachum *l.* 10. *ep.* 53.

Secundo ſciendum eſt, relationem ita plenam, & integram faciendam eſſe, ut quid reſcribat Princeps, ambigi non poſſit, *l. ne cauſas* 15. *d. l. jubemus* 34. *C. de appell.* Symmachus *l.* 2. *ep.* 30. *& l.* 19. *ep.* 45. *&* 53. & poſt Conſtantini conſtitutionem acta ipſius relationis debent partibus exhiberi, ut ſi relatio minus plene facta ſit, vel contraria alicui ex partibus videatur, liberum ei ſit refutatorias preces adjungere, *authent. novo jure*, *C. de relationib. l.* 1. *&* 8. *C. Theod. de appell. & l.* 22. *obſerv. c.* 33. judex enim relationem dubiorum per ſententiam ſæpius promittebat, *l.* 2. *C. Theod. de relat.* ubi legendum eſt, *Relatione promiſſa*, non *præmiſſa*, ut vulgo legitur, contra fidem Codicis Theodoſ. unde illa deprompta eſt: quo modo etiam emendavit Symmachus *l.* 10. *ep.* 53. in illis verbis: *Poſt præmiſſam relationem*; Juretus *in notis ad ipſum*, & notavit Gutherus *l.* 1. *de officiis domus*, *c.* 28. alias enim ſi judex exemplum litterarum relationis litigatori non edebat, & contra eum reſcribebatur, provocare poterat, *l.* 1. *ff. de appell.* ubi ait Ulpianus: *Quid enim ſi Præſes conſulendo mentitus ſit, & pars docuerit, vel falſa, vel non ita ſe habere, quæ ſcripta ſunt*. Merillus *l.* 2. *obſ. c.* 7. Rationum uſus frequens apud veteres fuit in cauſis dubiis, magnique momenti, *l.* 8. *C. Theod. de defenſor. civit.* aut ad tollendam juris dubitationem, aut propter publicam diſciplinam. Hujus exemplum habemus in lege Coſtantini, qua jubet, ut provinciarum Præſides, ſi quis potentiorum extiterit inſolentior, & ipſi vindicare non poſſint, aut examinare, aut pronuntiare de ejus nomine, ad Principem, aut certe ad Præfecturæ Prætorianæ ſcientiam referant, quo provideatur qualiter publicæ diſciplinæ, & læſis tenuioribus conſulatur. Eſt alia relationis ſpecies apud Symmachum *l.* 10. *ep.* 54. facta a Præfecto Urbi Senatus nomine, ut reſtitueretur ara Victoriæ privilegiiſque Veſtalium, & prædiis templorum Paganorum, contra quam D. Ambroſius libellos, ſeu preces ſupplices ſcripſit: poſtea tamen Imperator Juſtinianus uſum relationum ſuſtulit, ut litium brevitati conſuleret, *in novella* 195. 6 De cauſis relationis.

7 De uſu relationum in Eccleſia. In Eccleſia etiam uſum relationum invaluiſſe jam a primis ejus ſæculis, conſtat ex Innocentio I. *in ep. ad Aurel. Carthag. Epiſcopum*, ibi: *Reſtituit cum Apoſtolicæ Sedis ad relationem duplicis Synodi judicatis*. Et *ep.* 91. *&* 96. inter epiſtolas D. Auguſtini: *Veſtris relationibus reſpondentes reſcripſimus*. Et ex litteris ipſius Pontificis ad Conc. Milevit. quæ reperiuntur *d. ep.* 91. *Fiant enim neceſſe eſt cautiores, cum inventores malorum ad duplicis relationem Synodi, ſententiæ noſtræ ſtatutis viderint ab eccleſiaſtica communione ſejunctos*. Et in epiſtola ad Exuperium Epiſcopum Toloſ. *Dilectio tua inſtitutum ſecuta prudentum, ad Sedem Apoſtolicam referre maluit quid de rebus dubiis cuſtodire deberet, quam uſurpatione præſumpta, quæ ſibi videretur de ſingulis obtinere*. Siricio in Epiſtola ad Hincmarum Tarracon. *Ad Romanam Eccleſiam, utpote ad caput tui corporis, retuliſti*. Ex Leone I. in epiſt. ad Epiſcopos provinciæ Viennenſis: *Nobiſcum itaque fraternitas veſtra recognoſcat, Apoſtolicam Sedem pro ſui reverentia, a veſtræ etiam provinciæ ſacerdotibus innumeris relationibus eſſe conſultam; & per diverſarum, quemadmodum vetus conſuetudo poſcebat, appellationem cauſarum, aut retractata, aut confirmata fuiſſe judicia*. Vetuſtiſſimum extat ſimilis relationis exemplum apud D. Cyprianum *l.* 4. *ep.* 55. quod refert, & explicat Petrus Marcha *in concord. Sacerd. & Imperii*, *l.* 1. *c.* 10. ubi eumdem morem ex variis Conciliis Orientis, & Occidentis probat. Idem uſus relationum adſtruitur ex epiſtol. Synodi Sardicenſis ad Julium, apud Hilarium: *Optimum, & valde congruentiſſimum eſſe videbitur, ſi ad caput, ideſt ad Petri Apoſtoli Sedem, de ſingulis quibuſque provinciis referant ſacerdotes*. Quare *l.* 2. *hujus voluminis*, titulus 28. concipitur *de appellationibus, recuſationibus, & relationibus*. Ad quam ultimam rubricæ partem, videlicet de relationibus, ſpectat textus *in c. intimaſti* 68. *eod. titul.* Relationes ſupra recenſitæ tribus ex cauſis potiſſimum fieri ſolent, quas enumerant Maranta *in ſpeculo*, *p.* 6. *art.* 6. *n.* 4. Lancellotus *d.* 2. *p. de attentatis*, *c.* 8. Prima eſt, quoties judex ante ſententiam in cauſa civili, ſive criminali, quoties de jure dubitat, Principi eam refert, *d. l.* 1. *C. de relationibus*, *l. eum qui*, §. *judicibus*, *ff. de judiciis*. Secundo relatio fit ex neceſſitate, cum Princeps committit cauſam judici, facultate delegata tantum procedendi uſque ad concluſionem cauſæ, cum expreſſa inhibitione proferendi ſententiam; tunc enim cauſam inſtructam tenetur delegatus Principi referre juxta formam commiſſionis; ad quem caſum referendi ſunt textus *in c. cum olim*, *de teſtibus*, *c. fin. de appel.* Tertia cauſa relationis adeſt, cum fit ex natura ipſius negotii, quia illius deciſio ad ſuperiorem ſpectat, *c. ut debitus*, *c. ut noſtrum*, *de appell. c. majores*, *de baptiſmo*: & de hac relationis cauſa accipienda eſt præſens deciſio, cum confirmatio Epiſcoporum ſpectet ad Pontificem, juxta adducta *in c. poſtquam*, *de elect.* Legatus enim in præſenti poſt examinatam electionis cauſam, eam retulit Innocentio III. ut electio ab eo confirmaretur, vel infirmaretur.

8 Ratio decidendi. Quibus ita animadverſis ratio hujus deciſionis ex eo provenit, nam per relationem ſuperiori factam, ſicut per appellationem, cauſæ cognitio devolvitur ad ſuperiorem, itaut juriſdictio judicis referentis ſuſpendatur, *l. Principem* 22. *ff. de appell.* poſt relationem enim conquieſcit judicis referentis officium, *l. ex illo*, *C. de appell.* Unde omnia, quæ poſtea exercentur, tamquam ab incompetente, ſive, non habente juriſdictionis uſum, nulla ſunt ipſo jure, ut juxta hunc textum ibi, *inanem*, defendit Narbona *in d. l.* 35. *gloſſa* 6. *n.* 5. ſicut enim attentata appellatione pendente ſunt nulla, *c.* 1. cum aliis, *de appell.* ita & geſta facta relatione antequam Princeps reſcribat, ipſo jure non ſubſiſtunt, Lancellotus *d. c.* 8. Maranta *d. art.* 3. qui variis ampliationibus, & limitationibus adductis hanc exponunt doctrinam.

Nec obſtat difficultas ſupra pro dubitandi ratione adducta; nam negamus relationem eſſe actum extrajudicialem, imo judicialem eſſe probatur. Siquidem a judice fit, conſentientibus partibus, quibus relationis exemplum exhibetur, ut ſi minus plene, aut vere facta ſit, ſuos libellos offerant refutatorios. Deinde quia appellationi relatio equiparatur; unde titulus *de appel.* in utroque jure concipitur *de appell. recuſationibus, & relationibus*: igitur ſicut appellatio, & recuſatio ſunt actus judiciales, ita & relatio, quæ illis adjungitur. Nec augmentum primum difficultatis adverſatur, pro cujus expoſitione, & textus *in d. l.* 1. §. 1. vera interpretatione, varii diſtinguendi ſunt caſus. Primus eſt, cum relatione pendente partes aliquid innovarunt, & illud non irritatur, quia relatio, quoad judicem referentem, non quoad partes, inducit attentata, ut docent Lancellotus *d. c.* 8. *n.* 2. Secundus eſt, cum relatione pendente judex referens ſententiam dixit; poſſunt enim partes ab ea appellare, *l.* 1. *C. de relat.* licet enim a ſententia nulla, ut eſt etiam prolata pendente relatione, non ſit neceſſe appellare, *l.* 1. *& per totum*, *ff. quæ ſententiæ ſine appell. l.* 1. *C. quando appellare*; tamen appellatio, ſi interponatur, valet, & ſubſiſtit, *c. cum olim*, *c. ſignificantibus*, *de officio delegati*, *c. exhibita*, *de judiciis*, *c. ſignificaverunt*, *de exceptionibus*, *c. dilecto*, *de appell. l. ſi expreſſum*, *ff. eod. tit.* propter effectum devolutionis, & alios, quos conſiderat Narbona ſupra, *nu.* 9. & hoc caſu procedit textus *in d. l.* 1. *C. de relationibus*. Tertius caſus evenit; cum relatio Principi fit, ipſeque Princeps reſcribit, & partes appellationem interponunt; & hoc caſu diſtinguendum eſt jus Pandectarum a nova conſtitutione Imperatoris Conſtantini: jure enim Pandectarum provocari poterat a reſcripto Principis, quod relationem Magiſtratuum ſequebatur; *d. l.* 1. §. 1. *ff. de appell.* Per conſtitutionem tamen Coſtantini relatam *in l.* 1. *C. Theod. de appell.* qua jubetur, ut relationis exemplum partibus tradatur, ut intra quinque dies, ſi relatio veritati cauſæ non conveniat, ſuas preces refutatorias offerant; ſi tranſactis his diebus relatio Principi miſſa ſit, a reſcripto cauſam decidente, nec provocari, nec ſupplicari poteſt, *l.* 6. *C. Theod. de appell. l.* 2. *C. Theod. ut lite pendente*. Docet, & ita exponit Merill. *l.* 2. *obſ. c.* 7. Nec obſtat ultimum augmentum; procedit enim textus *in d.* 9. *recop.* in relatione petita a Principe, non vero facta a Magiſtratu ex conſenſu partium, & exemplo relationis illis exhibito; tunc enim niſi expreſſe cauſæ cognitio a Principe inhibeatur, non ſuſpenditur ejus juriſdictio. 9 Diſſolvitur difficultas.

Adhuc ſuperiori aſſertioni obſtat textus *in c. conſtitutus* 45. *appel.* ubi in ipſa ſpecie præſentis deciſionis, cum quædam cauſa electionis per modum appellationis eſſet ad ſummum Pontificem devoluta, Legatus a latere pendente appellatione, non ſolum valide, verum etiam licite in cauſa proceſſit; & electionem examinavit: igitur quia licet per appellationem, aut relationem ſuſpendatur juriſdictio judicis a quo, non tamen inhibetur examen electionis canonicæ. Huic difficultati, ut ſatisfaciant Gloſſa *verbo Delegavit*, & antiquiores, varias adducunt ſolutiones, ex quibus illa nunc placet, quæ affirmat, textum illum procedere in appellatione, cui partes facile renuntiare ſolent, *c. inter ſollicitudinem*, *de appel.* quare cum partes in ejus textus ſpecie conſenſiſſent, ut Legatus poſt appellationem iterum cauſam examinaret, recte docetur, Legatum potuiſſe in cauſa procedere partibus conſentientibus, & appellationem renuntiantibus. Docet Moneta *de commut. ul. vol. c.* 8. *n.* 588. 10 Exponitur c. conſtitutis, de appel.

CAPUT VI.

Idem *S. Apri*, *& S. Leonis* a *Abbatibus*, *& Magiſtro R. Archidiacono* b *Tullen.*

DIlectus f. R. c Meten. Canonicas nobis humiliter intimavit, quod cum ven. f. n. d Præneſtinus Epiſcopus Ap. Sed. Leg. Eccleſiam ſancti Trudonis eidem ad regnationem proprii Paſtoris in e manibus ejus factam f liberaliter g contuliſſet, dil. f. R. Meten. Archidiacon. ad quem illius Eccleſiæ præſentatio pertinebat, aſſerens quod eodem inconſulto conferri non potuit a Legato, donationi ejus minus rationabiliter ſe opponens, Canonicum ipſum ſuper eadem Eccleſia indebite moleſtare præſumpſit. Cum igitur plus juris habeat in conceſſione Prælatus, quam in præſentatione patronus, nec præjudicetur Prælato, ſi quando per Ap. Sed. Legatum, eo inconſulto, Eccleſia, concedatur: dif. v. per A. ſ. m. quat. dictum Archidiacon. ut ab ejus ſuper hoc indebita moleſtatione deſiſtat mon. præm. per cenſ. eccleſiaſticam ap. rem. cogatis.

NOTÆ.

1 a ABbatibus.) Ita etiam legitur in tertia collectione, *ſub hoc tit. cap.* 4. Monaſterium, S. Leonis eſt ordinis D. Auguſtini in urbe Tullenſi, de quo fratres Sarm. *t.* 4. *Galliæ Chriſt. fol.* 559. Monaſterium etiam S. Apri eſt ordinis D. Benedicti in eadem diœceſi, de quo iidem fratres Sarmat. *d. tom.* 4. *fol.* 69.

b *Tullenſis.*) De Tullenſi Eccleſia nonnulla notavi *in c. cum acceſſiſſent*, *de conſtit.*

c *Metenſis.*) De Metenſi Eccleſia egi *in cap. debitum*, *de bigamis*.

d *Præneſtinus Epiſcopus.*) De quo non pauca retuli *in cap. dudum*, *de elect.*

2 e *In manibus ejus.*) Legati videlicet; nam reſignatio debet fieri in manibus ſuperioris, ideoque poteſt fieri coram Legato a latere *c. deliberatione* 3. *hoc tit. l.* 6. Docent repetentes *in c. ſi Abbatem*, *de electionibus*, *l.* 6. Gambara *de officio Legati*, *l.* 6. *n.* 163. Flamin. *de reſign. l.* 7. *q.* 13. *n.* 15.

f *Liberaliter.*) Id eſt ſine ulla penſionis reſervatione in favorem certæ perſonæ; tunc enim ſicut talis reſignatio facta in manibus ordinarii non valet, *c. fin. de pactis*, *c. ex parte*, *de officio delegati*, ita facta coram Legato non ſubſiſtit. Docent Gambara *ubi ſup.* Rebuffus *de reſign. n.* 5. Flaminius *ubi proxime*, *n.* 17.

g *Contuliſſet.*) Cum ſciret eſſe Canonicum, alias ſi Canonicus inſcio Legato beneficium impetraret, ejus collatio nulla eſſet, *c. fin. de officio Legati in* 6. Jam pro expoſitione Clementinæ 2. de Officio Ordinarii, dixi *in c. ſi proponente*, *de reſcriptis*.

BIBLIOTECA CENTRAL

COMMENTARIUM.

3 Concluſio probatur. SEquens concluſio communiter deducitur ab Interpretibus ex hoc textu: *Legatus a latere confert beneficia vacantia in ſua provincia, quamvis eorum præſentatio ſpectet ad patronum eccleſiaſticum.* Probant eam textus *in c. litteras, de ſupplen. neglig. c. 1. c. præſenti 3. c. deliberatione, c. fin. hoc tit. l. 6. c. ſi a ſede 31. de preb. eod. lib. c. cum dilectus 28. de jurepatr. c. venerabilem, de preb. c. ſua, de confirm. utili.* Illuſtrant ultra congeſtos a Barboſa *in præſenti, & l. 1. juris eccleſiaſt. c. 5. n. 54.* Cæſar *de Eccleſ. hierarc. diſp. 3. §. 2.* Vighellius *in method. juris can. pag.* 289. Renatus Chopinus *l. 2. de ſacra polit. tit. 6.* Covar. *pract. q. 36.* Azor *t. 2. inſtit. mor. l. 5. c. 29.* Lambertinus *de jurepat. l. 2. p. 3. q. 8. art. 1.* Dartis *de beneficiis ſect. 3. ? 4.* Garzia *eod. tr. 5. p. c. 3.* Corraſius *in ſimili tr. p. 2. c. 3.* Duarenus *l. 3. de ſacris, c. 3.* Moneta *de commut. c. 10. n. 321.* Tondutus *t. 1. reſ. canon. c. 2. §. 6.* Gambara *de offic. Legati, l. 3. per tot.* Fragoſo *de regim. Chriſt. Reip. p. 2. l. 4. diſp. 1. §. 4. per totum,* P. Gregorius *l. 5. part. tit. 3. c. 2.* Valenſis *de benef. l. 1. tit. 8.* Solorzanus *t. 2. de jure Indiar. l. 2. c. 4. n. 14.* Moez *in c. 1. hoc tit. l. 6.*

4 Impugnatur hæc aſſertio. Sed adverſus hanc aſſertionem ita pro ratione dubitandi inſurgi valet, una cum Epiſcopo ordinario collatore beneficiorum tantum concurrit Pontifex, non vero ejus Legatus, qui per delegationis officium vocatur ad partem ſolicitudinis, non vero in plenitudinem poteſtatis, *c. multum 2. q. 6.* igitur Legatus, quantumvis a latere, non poteſt conferre beneficia vacantia in ſua provincia. Augetur hæc difficultas ex eo, nam Legatus non poteſt beneficium conferre in præjudicium tertii, *c. dilectus 28. de jurepat.* ſed conferendo beneficia vacantia in provincia ſuæ legationis, præcipue ſi ſint juriſpatronatus eccleſiaſtici, præjudicium irrogatur Epiſcopo, & patrono: igitur nullo modo Legatus a latere beneficia intra provinciam ſuam vacantia conferre valet. Accedit, nam ſi vera eſset ratio ab Innocentio in preſenti aſſignata illis verbis: *Quia plus juris habet in conceſſione Prælatus, quam in præſentatione patronus;* ſequeretur Legatum etiam conferre poſse beneficia juriſpatronatus laicalis, cum militet eadem ratio: ſed non poteſt ea conferre cum ad laicum ſpectat præſentatio, *d. c. dilectus 28.* igitur, nec beneficia juriſpatronatus eccleſiaſtici conferre valet.

5 Legatus quæ conferat. Hac difficultate ita fulcita minime obſtante, vera eſt præſens Innocentii deciſio, ad cujas expoſitionem, miſſis Legatorum generibus, de quibus *in c. 1. hoc tit.* egi, ſciendum eſt, Legatum a latere poſse conferre beneficia vacantia in ſua provincia, ubi Legationis officium exercet, etiamſi ad Sedem Apoſtolicam ob negligentiam Ordinariorum ſint devoluta, *c. penult. de preb. & dign.* Gambara *d. l. 3. de officio Legati, n. 263.* quare adverſus Legatum non currit ſemeſtre aſſignatum in Concilio Later. quia cum, etſi Ordinarius negligens ſit, poteſt poſtea jure devoluto illud conferre, ideo Concilii Lateranenſis tempus non habet locum in Legato. Ampliatur etiam hæc Legatorum poteſtas, ut procedat etiam in beneficiis, quorum collatio ſpectat ad exemptos, quia eorum etiam ordinarius eſt, *c. ſi Abbatem, de elect.* Docent Anton. Cuchus *l. 5. inſtit. tit. de Legato, n. 68.* Selva *de beneficiis 3. p. q. 66.* Corraſius *eod. tr. c. 3. n. 4.* Similiter etiam hæc Legatorum facultas, ſi beneficii collatio ad patronum Eccleſiaſticum ſpectet, ut ex hoc textu docent Gigas *de penſionib. q. 24. n. 1. de jurepatr. 1. p. l. 1. art. 6. n. 4.* qui etiam reſolvunt in hac ſpecie non deſiderari expreſſam juriſpatronatus derogationem. Hæc etiam beneficia, quæ Legatus poteſt conferre, ea vacatura ſuæ collationi reſervare valet, *c. præſenti hoc tit. l. 6.* etiam in favorem, & gratiam alicujus certi clerici, *c. cum dilectus, de jurep.* non tamen illa conferre, aut illi aliquod jus ad rem dare, *c. dilectus, de prebend.* hoc enim tantum R. Pontifex facere valet, *c. deteſtanda, de conceſſ. preb. c. præſenti, de officio delegati, l. 6.* nec item beneficium vacaturum promittere; nam licet id ei permiſsum videatur *in c. accedens, de conceſſ. preb.* tamen *in c. 2. eod. tit.* hujuſmodi permiſſio declaratur nullius momenti, & contra Concilium Later. cujus definitionem non magis relaxare poteſt Legatus, quam ceteri ordinarii; in eadem etiam Eccleſia, pendente una reſervatione, aliam facere non poteſt, *c. præſenti, §. fin.* in diverſis vero Eccleſiis plures reſervationes facere valet. Barboſa *l. 1. juris Eccleſ. c. 5. num. 55.* Cæſar & Fragoſo *ubi ſup.*

6 Legatus quæ beneficia non conferat. Legati etiam a latere non poſſunt conferre Eccleſias Cathedrales, vel Regulares, ſeu ipſarum Cathedralium majores poſt Pontificalem dignitates electivas, *c. deliberatione, hoc tit. l. 6.* Dartis *d. c. 4. de beneficiis,* Valenſis, *d. tit. 8.* nec etiam conferre poſſunt beneficia reſervata a R. Pontifice, *c. licet, de preb l. 6.* licet eis conceſſa ſit facultas conferendi beneficia qualitercumque vacantia; quia in reſervatis R. Pontifici non poſſunt ſe ingerere. Similiter licet habeant poteſtatem conferendi beneficia etiam reſervata, non poſſunt conferre beneficia vacantia in Curia, niſi ſpecialiter, & expreſſe id eis concedatur, *c. 2. de preb. in 6.* nec etiam conferre poſſunt beneficia litigioſa, *c. 1. & 2. ut lite pendente, l. 6.* nec etiam beneficia ad Epiſcopum devoluta ex negligentia Prælati regularis exempti, quæ Epiſcopus confert auctoritate Apoſtolica. *Clem. 1. de ſupplenda neglig.* cum enim eo caſu Epiſcopus conferat beneficium, ut delegatus Pontificis, non poteſt Legatus ſe intromittere, *c. ſtuduiſti, hoc tit.* Selva *de beneficiis, p. 3. q. 66.* Fragoſo *ubi ſup. n. 56.* Similiter nec beneficia conferre valet juriſpatronatus laicorum, patrono invito, niſi ad Epiſcopum per negligentiam patroni devoluta ſint, *c. cum dilectus, 10. de jurepatr.* nec etiam ſi eorum collatio ſit juriſpatronatus laicorum, & clericorum ſimul. Docent *in d. c. dilectus,* Abbas, & Calderinus, ne ex ſocietate clericorum laicis præjudicetur, argumento textus *in l. ſi communem, ff. quemadmodum ſervitutes, c. 1. de jurepat. l. 6.* Aliud dicendum eſt in beneficiis juriſpatronatus laicorum ex præſcriptione, vel privilegio, ut probat Valenſis *l. 1. de beneficiis, tit. 4. nu. 16.* etiam beneficium de jure vacans, ſi de facto retinetur poſſeſſio, quamvis conferri poſſit, *c. licet de preb. in 6.* poſſeſſio tamen tradi non valet: quo modo intelligitur textus *in c. cum noſtris, de conceſſione prebendæ:* ubi tamquam ſubreptitia hujuſmodi collatio judicatur. Circa Vicarias perpetuas, poſtquam placuit beneficiorum appellatione comprehendi, concurrit Legatus cum Ordinario in eis conferendis, & inter illos locus eſt præventioni, *c. ſi a Sede, de prebendis in 6.* Garzia *de beneficiis, 5. p. c. 3.*

Legati vero miſſi, vel nati nullam habent jure Legationis facultatem conferendi beneficia, *c. 1. hoc tit. in 6. c. ſi a Sede 31. de preb. eod. l.* Ratio eſt, quia Epiſcopi habent fundatam juriſdictionem jure communi, quoad collationem beneficiorum, *c. 3. de inſtitut. c. quia 5. de conceſſ. preb. c. 3. de relig. domibus;* quare magnum illis ſequeretur præjudicium, ſi Legati nati poſſent beneficia conferre. Nec obſtabit ſi dicas, eamdem rationem præjudicii adeſſe in Legatis a latere, qui beneficia conferre valent, ut proxime probavi: nam talis facultas conceſſa fuit Legatis a latere propter eorum amplam dignitatem, & prærogativam dignitatis Cardinalitiæ; & quia ipſi raro, & niſi magnis ex cauſis in provinciis mittuntur; quod in aliis Legatis non conſideratur. Hoc autem procedit, niſi ſpecialiter illis ſit indultum, *c. 1. hoc tit. l. 6. c. litteras, de ſupplend. neglig.* aut niſi ſint miſſi cum poteſtate, ſeu auctoritate Legati a latere: illi enim abſque alia ſpeciali facultate poſſunt conferre, quæ Legati a latere conferre ſolent. Gigas *de penſionib. q. 6. n. 19.* Garzia *5. part. c. 3.* Sed hæc facultas in Nuntiis etiam miſſis cum poteſtate Legati a latere ſolet reſtringi ad certum beneficiorum genus, & ad beneficia certi valoris, ideo tempore collationis inſpici debet, & in actis exhiberi facultas ipſa. Illud tamen in praxi obſervatum ſæpius vidi, ut in æſtimando valore ipſius beneficii non computentur diſtributiones, ſeu anniverſaria, quæ vulgo in noſtra diœceſi Salmantina appellantur *Obenciones de clerecia,* ut proſequuntur Garzia *diſtinct. 5. part. cap. 3. de beneficiis,* Valenſis *d. tit.* — 7 De aliis Legatis.

Ex quibus jam apparet vera decidendi ratio hujus deciſionis, quæ ex eo provenit; nam cum Legati a latere gerant vices R. Pontificis in provinciis ſibi deſignatis cum amplitudine poteſtatis, quam alii Legati non habent, ut *in c. 1. hoc tit.* probavi: ideo ſicut R. Pontifex poteſt conferre quæcumque beneficia, ita & Legatus a latere ratione legationis ſibi commiſſæ poteſt conferre beneficia vacantia in ſua provincia. Neque intereſt, quod eorum collatio ſpectet ad perſonam Eccleſiaſticam ratione dignitatis Eccleſiaſticæ, quam obtinet; nam adhuc ea conferre poteſt. Ratio eſt, quia cum ſit ordinarius Legatus a latere in ea Eccleſia, cujus ratione clericus exercet juſpatronatus; quid mirum, ut Legatus tamquam ſuperior poſſit conferre ea. Accedit, nam ſimilia beneficia, quorum collatio ſpectat ad Epiſcopum ratione Epiſcopatus, Legatus conferre valet; igitur ſimiliter & illa conferre poteſt, quorum collatio ſpectat ad clericum ratione juriſpatronatus Eccleſiaſtici. Crederem tamen, quod ſi ad clericum ſpectet collatio beneficii ratione juriſpatronatus hereditarii, vel alio modo acquiſiti, dum non Eccleſiæ cauſa competat, tunc non poſſe Legatum conferre tale beneficium; tum ne deterioris conditionis ſit clericus, quam laicus; tum quia præſens textus procedit caſu, in quo juſpatronatus ſpectabat ad clericum, Archidiaconum videlicet ratione propriæ dignitatis: non vero idem dicendum eſſet, ſi competeret ratione proprii patrimonii. — 8 Ratio decidendi.

9 Diſſolvitur difficultas. Nec obſtat dubitandi ratio ſupra expenſa; nam licet ſatis controverſum ſit apud Interpretes, an Legatus a latere in ſua provincia conferat beneficia vacantia jure ordinario, an jure ſpeciali? & jure ſpeciali ea conferre docuerint Duarenus *d. c. 3. de ſacris Eccleſiis,* Corraſius *d. 2. p. de beneficiis, c. 3.* Selva *eod. tr. d. 2. p. n. 34.* alii relati a Garzia *d. p. 3. n. 8.* tamen contraria ſententia verior eſt, videlicet competere jure ordinario, ut Legato a latere; in his enim, quæ jure legationis illi competunt, ordinarius dicitur, *c. 2. hoc tit. lib. 6.* ſed collatio beneficiorum pertinet ratione legationis ipſo jure abſque ſpeciali conceſſione: igitur ut ordinarius collator confert beneficia in ſua provincia vacantia. Ita tenet Garzia *d. c. 3. n. 8.* Fragoſo *d. §. 3. n. 6.* unde virtute legationis poterit in præjudicium Epiſcopi tamquam ſuperior beneficia conferre. Nec augmentum difficultatis adverſatur; nam præſens deciſio accipienda eſt juxta caſum in ea propoſitum, juris videlicet patronatus eccleſiaſtici, non vero laicalis; nam in præjudicium patroni laici Legatus beneficia conferre non valet.

10 Exponitur c. 1. de appell. Sed ſuperiori aſſertioni opponitur textus *in c. 1. de appell.* ubi deciditur, Archiepiſcopum Eboracenſem A. S. Legatum non potuiſse conferre beneficium vacans in ſua provincia, collationemque ab eo factam eſſe irritandam: igitur quia Legati non poſſunt conferre beneficia vacantia in ſua provincia. Hujus difficultatis ſolutio ex ſupra dictis facile depromitur: diximus enim Legatum tantum a latere poſſe conferre beneficia vacantia in ſua provincia, non autem Legatum natum, vel miſsum; quia in hac parte æqualis non eſt eorum auctoritas: unde cum Archiepiſcopus Eboracenſis ſit Legatus

gatus tantum natus, ut *in c. 1. hoc tit.* probavi, ideo non poteſt conferre beneficium etiam vacans in ſua provincia.

11 Intelligitur c. litteras 4. de ſupplen. neglig. Secundo adverſatur textus *in c. litteras 4. de ſupplend. neglig.* ubi proponitur, beneficia tanto tempore vacaſſe, ut eorum collatio devoluta eſſet ad R. Pontificem: & cum Legati Sedis Apoſtolicæ ordinarii collatores beneficia vacantia contuliſſent, conſultus fuit Innocentius III. utrum videlicet poſſeſſores ſuſtinendi eſſent in poſſeſſione ipſorum, an vero Legati ea conferre poſſent? Et reſpondit Innocentius III. poſſeſſores, ſi alias digni ſint, ſuſtinendos eſſe in beneficiorum poſſeſſione, alias Legatos auctoritate Apoſtolica conferre ea poſſe. Ex quo Innocentii III. decreto duplex inſurgit difficultas. Prima, nam ſi jam collatio beneficii erat devoluta ad R. Pontificem, atque Legatus tamquam ex jure devoluto conferre poterat, *c. penult. de preb.* quo modo ſuſtinetur collatio ab Ordinario poſtea facta? Secunda, ſi Legatus confert beneficia vacantia in ſua provincia jure proprio, & ordinario, quomodo in eo textu aſſeritur, auctoritate Apoſtolica conferre debere, præcipue cum illa, quæ ratione legationis exercentur, auctoritate Apoſtolica peracta non dicantur? *c. hi qui,* ubi Gloſſa, & Francus *n. 5. c. ſi apoſtolica, de preb. & dignit. l. 6.* Prima difficultati ſatisfaciendum eſt ex verbis ipſius textus, ibi: *De patientia permittatis ab ipſis pacifice poſſideri.* In quibus innuitur, in eo textu collationem beneficii potius ex pietate, & miſericordia tolerari, quam ex juris ſtricti principiis defendi, quod jam in eo textu notavimus. Secundæ difficultati reſpondetur, in eo textu non agi de Legato a latere, ſed de Legato miſſo, qui jure proprio, & auctoritate ordinaria nunquam beneficia confert, niſi ex ſpeciali delegatione illi concedatur: unde recte ait Innocentius III. in eo textu auctoritate Apoſtolica illi indulgeri, ut ſi poſſeſſores beneficiorum idonei non reperiantur, poſſint ea auctoritate Apoſtolica conferri.

Deinceps ſupra traditis opponi poteſt nova Clementis IV. deciſio relata *in c. deliberatione 4. §. prohibemus, hoc tit. in 6.* ubi Clemens IV. prohibet, ne Legatus in genere, aut in ſpecie cuicumque concedat facultatem conferendi beneficia, quæ pendente legatione aliqui duxerint in ejus manibus libere reſignare, ea adjecta ratione, quia fraus fieret Concilio Lateranenſi inhibenti collationem beneficii vacaturi. Quæ Clementis deciſio, ut ſuperflua rejicienda venit; ſiquidem, ut ſupra diximus, licet Legatus poſſit reſervare beneficia vacatura, nequit tamen ea conferre; quod & aperte probatur, ſi recte perpendatur deciſio textus *in c. conſtitutis, de conceſſ. prebend.* Pro hujus textus interpretatione aliqui exiſtimarunt, inſpecto jure Decretalium potuiſſe Legatum a latere collationem beneficii etiam vacaturi aliis committere; quorum opinioni aſſentiri non poſſum, cum *in d. cap. conſtitutis,* expreſſe contrarium ſtatuatur: quare exiſtimo, novam prohibitionem Clementis IV. non eo reſpicere, ut auferat poteſtatem Legatis committendi collationem beneficiorum, quæ nondum vacarunt; hoc enim jam jure Decretalium prohibitum erat. Sed nova prohibitio illius textus eo tendit, ut Concilium Lateran. quod loquebatur tantum in caſu mortis, videlicet cum beneficium vacaſſet per mortem, traheretur ad caſum, in quo beneficia libere reſignantur, quia hujuſmodi commiſſione conferendi beneficium vacaturum fraus fiebat Concilio Lateranenſi: unde ſicut Innocentius III. *in d. cap. conſtitutis,* protraxit Concilii Later. prohibitionem ad caſum, in quo beneficiorum proviſio committitur: ita Clemens IV. ipſam Innocentii deciſionem protraxit ad caſum, in quo committeretur collatio beneficii vacaturi per reſignationem; ne, quamvis remotiſſime, fraus fieret Concilio, ut latio proſequemur, in *diſt. cap. conſtitutis 11.* — 12 Exponitur c. 4. §. prohibemus, hoc titulo in 6.

CAPUT VII.

Idem a *Illuſtri Regi Francorum*.

b NOvit ille, qui nihil ignorat, quod Regiæ ſublimitati. *Et infra:* Nuper autem primo dil. f. M. & Vvalt. milites, & poſtmodum dil. f. Magiſtrum F. Decanum Aurel. cum litteris tuis benigne recepimus, & curavimus multipliciter honorare, ſicut per ipſos poterit plenius tuæ Serenitati patere. Ipſi autem in noſtra, & f. n. præſentia conſtituti contra eumdem *c* Card. ex parte tua querimoniam intenderunt, videlicet quod cum tibi eſſet certa ratione *d* ſuſpectus, poſt *e* ap. ad nos interpoſitam extra *f* fines regni Francorum in terram tuam interdicti ſententiam promulgavit; qui etiam in animam tuam promiſerunt, & obtulerunt jurare, quod tu coram *g* Legatis, & delegatis noſtris ſuper hoc negotio ſtabis juri; & quod propter hujuſmodi negotium, nec per eos, nec per alium fueris ex parte noſtra citatus, ut juri pareres, prædictam petens ſententiam, recepta hujuſmodi *h* cautione juratoria, relaxari. Ceterum ad ea, quæ contra Card. objecerunt, & eis reſpondebimus, & tuæ magnificentiæ reſpondemus, quod etſi fines regni Francorum exierat, nondum tamen fuerat terminos ſuæ legationis egreſſus, cum non ſolum in Regno Francorum, ſed *i* Vien. Ludgdun. & Biſuntin. provinciis injunctam ſibi a nobis legationis ſolicitudinem ſuſcepiſſet.

NOTÆ.

a *Illuſtri.*) Ita etiam legitur in tertia collectione, *ſub hoc tit. c. 5.* quo modo reſcribi ſolet Principibus ſæcularibus, ut Imperatori Coſtantino *in c. ſolitæ 6. de major. & obed.* Illuſtri Regi Caſtellæ *in c. 1. de reſtit. ſpol. in 5. compil. extrav. unica, de Judæis.* Illuſtri Regi Aragoniæ *in c. quanto 18. de jurejurando.* Illuſtri Regi Franciæ *in præſenti, & in c. tuam 3. de ordin. cognit. & extravag. meruit, de privil. inter communes.* Illuſtri Regi Cypri *in c. penult. de confirm. utili.* Regi Angliæ *in c. quanto 3. de judiciis.* Regi Ungariæ *in c. intellecto 33. de jurejurando.* Regi Luſitaniæ *in c. ex ſpeciali, de Judæis;* notarunt Cenedus *ad Decretal. collect. 109. n. 1.* Baſseus *in chron. Hiſp. c. 18.* cujus tituli, & nomenclaturæ rationem reddunt, & illuſtrant Valdes *de dignit. Regum Hiſpan. c. 13.* Juretus *ad Symmachum l. 10. epiſt. 37.*

b *Novit.*) Hujus textus deciſionem, partem eſſe epiſtolæ noſtri Innocentii III. relatæ *in c. novit, de judiciis,* & ad eumdem caſum pacis fractæ inter Philippum Regem Galliæ, & Angliæ Regem pertinere, Cujacius, & Ant. Aug. *in d. c. novit,* & alii non inferioris notæ Interpretes exiſtimarunt, aſſerentes occaſione pacis ruptæ cum Joanne Angliæ Rege Innocentium III. in Franciæ provincias Petrum S. Mariæ in Via Lata Diaconum Card. Legatum a latere miſiſſe, & duas ſcripſiſse epiſtolas, unam ad Epiſcopos Galliæ *in dict. c. novit,* aliam ad ipſum Philippum relatam *in hoc textu, & in c. novit, de appell.* cujus aliam partem eadem face hiſtoriæ illuſtrandam, relatam in *c. ſicut 29. de jurejurando,* notavit magnus vir D. Franciſcus Ramos *in memor. ad Alexand. VII. pro Epiſcop. Luſit. prop 4. §. 1. n. 47.* Sed ni fallor cauſa hujus deciſionis diverſa eſt ab argumento, & hiſtoria textus *in c. novit, de judiciis:* exiſtimo enim interdictum, cujus mentio fit in hoc textu, fuiſse interdictum appoſitum ob repudiatam uxorem ab ipſo Philippo, de quo egi *in c. 1. verbo Exulare, de poſtul.* Illud enim prolatum fuit a Cardinali Legato in civitate Viennenſi, ut in noſtro textu innuitur, & probatur ex duabus epiſtolis noſtri Innocentii editis a Sirleto *p. 169.* his verbis: (Quanto amplius de honeſtate tua, diſcretione pariter, & litteratura confidimus, tanto fiducialius ea tibi committimus exequenda, quæ Apoſtolicæ Sedis honorem reſpiciunt, & communem utilitatem populi Chriſtiani. Cum itaque de fratrum noſtrorum conſilio ad reformandam inter chariſſimos in Chriſto f. n. Ph. Francorum, & R. Anglorum Reges Illuſtres plenæ pacis concordiam, vel treguas ſaltem uſque ad quinquennium ſtatuendas te duxerimus inter cetera deſtinandum, diſcretioni tuæ auctoritate præſentium indulgemus, ut ſi quos viros eccleſiaſticos, Archiepiſcopos, vel Epiſcopos, vel minoris viros ordinis in regno Anglorum eſse cognoveris, quorum tractatui pacis ſit conſilium opportunum, eos ad te convoces, & per diſtrictionem Eccleſiaſticam, ſi neceſse fuerit, noſtra fretus auctoritate venire compellas. Nulli ergo, &c.)

Scripſimus chariſſimo in Chriſto f. n. Ph. Illuſtri Regi Francorum, ut ea, quam ſuperduxit contra Eccleſiæ interdictum, a ſuo ſeparata conſortio, chariſſimam in Chriſto f. n. Francorum Reginam Illuſtrem uxorem ſuam in gratiam recipiat conjugalem, & debito pertractet affectu. Ut autem mandatum noſtrum ſuper hoc melius, & expeditius compleatur, diſcretioni tuæ auctoritate preſentium indulgemus, per Apoſtolica ſcripta mandantes, & diſtricte præcipientes, ut niſi dictus Rex intra menſem poſt commonitionem tuam prædictam Reginam in gratiam receperit conjugalem, & honore debito pertractarit, ex tunc totam terram ejus, appellatione poſtpoſita, ſubjicias interdicto, ita quod præter baptiſma parvulorum, & pœnitentias morientium, nullum in ea divinum officium celebretur: & ven. f. noſtris Archiepiſcopis, Epiſcopis, & dilectis filiis noſtris Abbatibus, Prioribus, & univerſis Eccleſiarum Prælatis conſtitutis in terram ejus in virtute Spiritus ſancti diſtricte præcipimus, ut cum in terram Regis ejuſdem interdicti ſententiam promulgaveris, eam ap. rem. ſecundum prædictum formam obſervent, & per ſuas faciant provincias, diœceſes, & Eccleſias obſervari. Nulli ergo, &c.) Scriptum eſt ſuper hoc Archiepiſcopis, Epiſcopis, Abbatibus, Prioribus, & univerſis Eccleſiæ Prælatis in terra Regis Franciæ conſtitutis. Cum enim Philippus, ut ſuſpectum recuſaſset ipſum Cardinalem Legatum, atque a ſententia interdicti appellaſset, atque etiam propoſuiſset prædictum Cardinalem fines Regni Franciæ egreſsum interdictum promulgaſse, & ſic ſine juriſdictione, cum provinciam legationis exceſſiſset: conſultus Innocentius per Legatos miſſos a Philippo, & in hoc textu relatos, primæ quæſtioni reſponſum dedit in epiſtola relata *in dict. c. novit, de appell.* ſecundæ vero in hoc textu.

c *Cardinalem.*) Petrum videlicet Diaconum Cardinalem tituli S. Mariæ in Via Lata.

3 d *Suſpectus*. (Ad hanc partem ſpectat textus *in c. novit*, *de appell.*

e *Poſt appellationem*.) Cum enim prædictus Cardinalis apud Senonas Archiepiſcoporum, & Epiſcoporum Concilium congregaſſet, ut contra ipſum Philippum procederet, & interdictum in Regno Franciæ apponeret, Philippus per nuntios ſuos ad Sedem Apoſtolicam appellavit, ut refert Spondan. *in contin. Baronii*, *ann.* 1198. *n.* 9.

f *Finis Regni Francorum*.) Pro diverſitate temporum diverſi fuerunt hujus Regni fines; dum enim Galli Romani parebant, in ſex provinciales Regnum dividebatur, ut ejus ævi, & ſequentium hiſtoriam, & geographicam deſcriptionem referens tradit Hothomannus *in Franco-Gallia*, *c.*1. 2. *&* 3.

g *Legatis*, *& delegatis noſtris*.) Qui varii fuerunt; nam Petrus Cardinalis, de quo in præſenti, miſſus fuit, ut jam cœptum negotium divortii proſequeretur; fuerant enim antea judices dati in hac cauſa Octavianus Epiſcopus Oſtienſis, & Joannes presbyter Cardinalis, ut refert Spondanus *ubi ſup. anno* 1202. *n.* 1.

h *Cautione juratoria*.) Sub qua relaxanda erat interdicti ſententia, *c. qua fronte*, *de appell. c. ex parte* 23. *de V. S.* Unde recte petebat in hac parte Philippus interdicti ſententiam relaxari.

i *Vien. Lugdun. Biſunt.*) Provinciæ iſtæ tempore Innocentii III. erant Galliæ, non tamen ſpectabant ad Regnum Francorum, ut conſtat ex ejus Regni deſcriptione tradita a Doctore *pag.*80. Unde cum in Viennenſi civitate Legatus ſententia interdicti promulgaſſet, intendebat Philippus eum extra Franciæ provincias, & per conſequens extra legationis terminos ſententiam dixiſſe.

COMMENTARIUM.

4 EX hoc textu communiter deducitur, *Legatum cui commiſſa eſt legatio in diverſis provinciis, poſſe in una cognoſcere de cauſis emergentibus in alia; poſtea tamen quam terminos provinciæ ſibi commiſſæ egreſſus fuerit, non poſſe exercere juriſdictionem*. Ita ultra ordinarios in præſenti ex hoc textu docuerunt Moneta *de commut. ult. vol. c.* 5. *n.* 226. Covar. *l.*3. *var. c.* 20. Gonzalez *in reg.* 8. *gloſſ.* 22. Barboſa *l.* 1. *juris eccleſ. c.* 5. *num.* 76. Azor. 2. *p. inſtit. l.* 5. *c.* 27. *quæſt.* 4. Fragoſo *de regim. Chriſt. Reipubl. diſp.* 10. §. 2. *n.* 37. Gambara *de officio Legati extra provinciam*, *n.* 2. *&* 3. Nam licet non poſſit judex extra provinciam jus dicere, *l.* 3. *ff. de officio Præſidis*, *l. ult. ff. de juriſd.* tamen Legatus diverſarum provinciarum ordinariam in omnibus provinciis ſibi aſſignatis habet juriſdictionem, *cap.* 2. *hoc tit. lib.* 6. Sed ordinarius judex in quolibet loco ſuæ juriſdictionis poteſt cauſa alterius loci decidere, ac terminare, *c. cum Epiſcopus*; *de offic. Ordin. l.* 6. igitur Legatus in qualibet provincia ſuæ legationis poteſt exercere juriſdictionem contentioſam, etiam quoad res, ſeu perſonas exiſtentes in alia provincia: ſed ſi jam exceſſit provincias ſuæ legationis, non poteſt aliquam juriſdictionem contentioſam exercere. Neque obſtabit, ſi inſtes, Legatum Proconſuli æquiparari, *cap.* 2. *hoc tit. lib.* 6. ſed Proconſul tantum deponit imperium, dum ingreditur urbem Romanam, *l. ult. ff. de off. Proconſulis*: igitur ſimiliter licet Legatus exceſſerit terminos ſuæ provinciæ, dum tamen non ingrediatur Romanam civitatem, non deponit imperium, aut juriſdictionem. Nam reſpondendum eſt, etiam Proconſulem jam egreſſum terminos provinciæ ſuæ juriſdictionem contentioſam exercere non poſſe: nec contrarium probat textus *in dict. l. ult.* nam omiſſis emendationibus Fabri, & Gothofredi *in eo*, Hothomanni *l.*4. *obſ. c.*22. dicendum eſt, Proconſulem in ingreſſu urbis deponere imperium, id eſt, juriſdictionem voluntariam, quam etiam extra provinciam exercere poterat, ut interpretatur Cujac. *in novella* 95. *Juſtin.* vel inſignia, & ornamenta dignitatis Proconſularis, ut vult Oſuald. *l.*17. *comment. Donelli*, *c.*9. *littera E*, juriſdictionem autem contentioſam, ex quo exceſſit terminos ſuæ provinciæ, certum eſt exercere non poſſe.

C A P U T VIII.

Gregorius IX. a *Patriarchæ* b *Hieroſol.*

VOlentes. *Et infra*: fraternitati tuæ legationis officium in provincia tua duximus committendum; ita tamen, quod ſi Legatum ad partes illas de latere noſtro contigerit deſtinari, executionem ipſius officii, quamdiu Legatus ipſe ibi fuerit, pro Sed. Apoſt. reverentia omnino dimittas.

NOTÆ.

1 a PAtriarchæ.) Geraldo videlicet: ipſe enim mortuo Rodulpho electus fuit in Patriarcham Hieroſol. & confirmatus a Gregorio IX. anno 1227. ut ex Scriptoribus Orientalibus refert Spondanus *in continuat. Baronii*, *prædicto anno*, *n.*7. Bejoldus *in hiſt. Hieroſolym.*

b *Hieroſolym.*) Amplitudinem, & principium hujus Eccleſiæ retuli *in c.*3. *de clericis peregrin.*

COMMENTARIUM.

IN hoc textu deciditur, præſente Legato a latere officium Legati miſſi, ſeu nati ceſſare, nec hujuſmodi Legatos inſigniis uti poſſe. Quod & deciditur *in c. antiqua*, §. *dominicæ*, *de privil.* Docent Barboſa *l.* 1. *juris Eccleſ. c.* 5. *n.* 19. Fragoſo *de regim.* ubi ſupra, *diſp.* 10. §. 1. *n.* 7. Cujus doctrinæ ratio provenit ex præcellentia Legati a latere, qui alios quoſcumque Legatos præcedit, ut late docet Manriquez *de præced. q.* 29. *per totam*. 1

C A P U T IX.

a Idem.

EXcommunicatis pro injectione manuum violenta, Eccleſiæ Romanæ Legati, qui de ipſius latere non mittuntur, extra provinciam ſibi commiſſam, vel ibidem, ſi hujuſmodi manuum injectores illuc contingat aliunde accedere, & qui Eccleſiarum ſuarum prætextu legationis ſibi vindicant dignitatem, etiam ſubditis (quamvis in provincia ſua exiſtentes) beneficium abſolutionis impartiri non poſſunt, niſi de ſpeciali gratia illis, & ſibi amplius a Sede Apoſtolica concedatur.

NOTÆ.

1 Concluſio probatur. a IDem.) Greg. videlicet IX. qui motu proprio præſentem edidit conſtitutionem a nemine conſultus, ut de ipſo Gregorio jam notavi *in c. fin. conſuetud.*

COMMENTARIUM.

EX hac conſtitutione talis deducitur aſſertio: *Legati nati non abſolvunt excommunicatos ob injectionem manuum in clericos, etiam in ſua provincia: Legati miſſi ſimiliter non abſolvunt ipſos extra ſuam provinciam, aut venientes ad eam ex aliena: Legati a latere omnes, & ubicumque abſolvunt*. Probant hanc concluſionem textus *in c. quod translationem*, *hoc tit. c. ea noſcitur*, 13. *c. ad eminentiam* 22. *c quamvis* 58. *de ſent. excomm.* Illuſtrant Gambara *de officio Legati l.* 12. *per totum*, plures congeſti a Barboſa *in præſenti*, *& l.* 1. *juris Eccleſ. c.* 5. *num.* 27. Moneta *de commut. c.* 5. *n.* 236. Suar. *de cenſur. diſp.* 22. *ſect.* 1. *n.* 160. Graſſis *in deciſionib. l.* 2. *c.* 49. *n.* 58. Fragoſo *de regim. diſp.* 10. §. 2. *n.* 23. Gibalin *in ſynopſi cenſ. pag.* 466. Garcia *in ſumma*, *tr.* 1. *diffic.* 3. *dub.* 2. *punct.* 5. Cæſar *de Eccleſ. hierarch. diſp.* 3. §. 2.

2 Traditur dubitandi ratio. Sed hæc aſſertio ita illuſtrata difficilis redditur ſequenti juris conſideratione. Excommunicatio, quæ incurritur ob violentam manuum injectionem in clericum. R. Pontifici eſt reſervata, nec alius, quam ipſe ab ea abſolvere poteſt, *c. ſi quis ſuadente*, 17. *q.* 4. & ſi Legatus a latere tamquam ejus vices gerens ab ea abſolvit, etiam Legati nati, ſeu miſſi, qui etiam dicuntur Vicarii R. Pontificis, *c. fin.* 93. *diſt.* Cæſar *ubi ſup.* §. 1. *n.*11. abſolvere poſſunt: igitur aut Legati a prædicta excommunicatione abſolvere valent, aut nullus. Augetur hæc difficultas ex eo, quia ſi Legatus a latere poſſet quoſcumque excommunicatos, & ubicumque abſolvere, poſſet etiam quoſcumque, & ubicumque excommunicare, cum ille poſſit abſolvere, qui & ligare: ſed Legati alienos ſubditos, & extra ſuam provinciam exiſtentes excommunicare non poſſunt, ut ſæpe ſæpius *in hoc tit.* probavi: igitur neque eos abſolvere.

Adhuc tamen defendenda eſt præſens aſſertio, cujus rationem ut percipiamus ſciendum eſt, ob dignitatem clericalis ſtatus, & reverentiam, quæ clericis debetur, in Conc. Lateranenſi ſub Innocentio II. celebrato, & in Conc. Rhemenſi tempore Eugenii congregato an. 1148. *can.*13. ſtatutum fuiſſe, ut ſi quis ſuadente diabolo tanti ſacrilegii reatum incurrerit, quod in clericum, vel monachum manus violentas injecerit, anathema ſit, ita ut nullus Epiſcoporum illum præſumat abſolvere, niſi mortis urgente periculo, donec Apoſtolico conſpectui præſentetur. Referunt Conc. Rhemenſis verba Baronius *anno* 1148. Manrique *annual. Ciſterc. t.* 3. *anno* 1148. *c.* 4. quem canonem firmarunt Romanæ Eccleſiæ Præſules *in c.*1. *c. non dubium* 5. *c. parochianus* 9. *c. ex tenore* 10. *c. cum non ab homine* 14. *c. tua* 19. *c. contigit*, *de ſentent. excommun. c. eos*, 22. *c. cum quis*, 23. *eod. tit. l.*6. & aliis juris locis congeſtis ab Ant. Aug. *in epit. juris l.* 37. *tit.* 78. Creſpetius *in ſumma verbo clerici non cædendi*. Illuſtrant hoc privilegium canonis Pineda 1. *p. Monach. Eccleſ. l.* 20. *c.* 16. §. 5. Petrus Greg. *l.*4. *partit. c.*10. *& l.*16. *ſyntagm. c.*1. *n.*35. Suarez *de cenſ. diſp.*22. *ſect.* 1. *cap.* 4. Sarmiento *in defenſ. libelli de redditib. eccleſ. p.*1. § 3. *monit.*55. plures congeſti a Cenedo *in collect. ad decretum*, *collect.* 24. Barb. *in d. c. ſi quis ſuad.* Petr. Greg. *l.*2. *partit. tit.*9. *c.* 10. & *tit.* 16. *c.* 11. Fragoſo *de Regim. Chriſt. Reip.* 2. *p. l.*1. *diſp.*2. Delbene *de immun. eccleſ. tom.*1. *q.*2. *dubit.*4. Scortia *in ſelectis epiſt.*29. *ſelect.*69. Gibal. & Garcia *locis ſupra cit.* Diana *par.* 9. *tr.* 4. Nos tamen tria tantum in præſenti examinabimus, videlicet perſonas, quæ hoc privilegio fruuntur, aut in excommunicationem incidunt; ex qua injectione excommunicatio incurratur; & qui poſſit ab ea abſolvere.

De Can. ſi quis ſuad. 3

4 De perſonis in can. comprehenſis. Quoad primum, illis verbis, *Si quis*, omnes perſonæ utriuſque ſexus, tam ſæculares, quam eccleſiaſticæ, dum judicium integrum rationis habeant, comprehenduntur, *c.* 1. *c. mulieres*, 60. *c. porro* 7. *c. ex tenore* 10. *c. veritatis* 24. *c. cum illorum*, 32. *c. de monialibus* 37. *c. fin. de ſent. excom.* Docent late Gibal. & Diana *ubi ſup.* Deinde quoad perſonas, quæ hoc privilegio Canonis gaudent, certum eſt, omnes Clericos, ſive in majoribus, ſive in minoribus ordinibus conſtitutos, imo tonſuram tantum habentes hoc Canonis privilegio frui, quia in Clericorum numero, & collegio recenſentur, *c. cleros*, *c. pſalmiſta*, 21. *diſt. c. cum contingat*, *de ætat. & qual.* Nec intereſt, an conjugati ſint, dum deferant habitum clericalem, & alicui Eccleſiæ inſerviant, juxta textum *in c. unico*, *de Clericis conjug. l.*6. Conc. Trid. *ſeſſ.*23. *de reform. c.*6. Monachorum etiam appellatione, qui hoc privilegio fruuntur, veniunt religioſi utriuſque ſexus; tam profeſſi, quam novitii, necnon etiam converſi, & Canonici regulares, *c. Monachi* 2. *c. Parochianum* 9. *cap. cum illorum*, 32. *cum ſeq. de ſent. excomm. c. religioſi*, 21. §. *unico*, *eod. tit. in* 6. pluribus relatis docet Garcia *ubi ſup.* Etiam Monachi Bigami hoc privilegio fruuntur, quia bigamia tollit privilegium clericale, non vero regulare, ut cum aliis reſolvit Gibal. *ubi ſup.* Fratres etiam Tertiarii Ordinis S. Franciſci, & Dominici, necnon Eremitæ, ſi ſuperiorem habeant, & in communi vitam agunt, hoc privilegio fruuntur, ut docent Rodriguez *tom.* 2. *quæſtionum reg. q.*65. *art.*5. Layman *l.*1. *ſummæ*, *tr.*5. 2. *par. c.*5. *n.*4. Non tamen hoc privilegio gaudent Clerici incorrigibiles, tonſuræ deſertores, ſine veſte clericali incedentes, graviſſimis ſceleribus implicati, *c. in audientia*, 25. *c. perpendimus*, *c. contingit*, *de ſent. excom.* Nec etiam gaudent Clerici goliardi, joculatores, carnifices, ter moniti, ut ſimilia exercitia deſerant, *c. unico*, *de vita*, *& honeſt. Cleric. l.*6.

5 De injectione manuum. Ipſa manuum injectio, ut excommunicatio incurratur, debet eſſe violenta, & injurioſa, ut occiſio, vulneratio, mutilatio, percuſſio, quocumque modo, aut inſtrumento fiat, ſive manu, pede, enſe, fuſte, loris, aut etiam veneno occulte propinato, ut late reſolvit Diana *d. tr.*4. Nec ſolum ſi manu propria percuſſio ſequatur, excommunicatio incurritur, verum & ſi ab alio dum quis mandavit, aut ratam habuit percuſſionem, *c. dilecto*, 6. *c. cum quis* 23. *de ſent. excom. l.*6. *c. mulieres* 6. §. *fin. c. quanto* 47. *de ſent. excomm.* debet autem ipſa percuſſio eſſe gravis, itaut ſufficiens judicetur ad peccatum lethale perpetrandum, ſine quo excommunicatio major incurri non valet, *c. nemo c. nullus* 11. *qu.* 3. non autem incurritur hæc cenſura ſequentibus caſibus. Primo cum quis Clericum cum propria uxore, matre, filia, vel ſorore ſolum cum ſola in loco ſuſpecto invenit, *c. ſi vero* 3. *de ſent. excom.* ſi non dolo, vel fraude ipſum percuſſerit, illum evocando, ut reſolvunt Diana *d. tr.*4. *reſ.*2 Barb. *in d. c. ſi vero*, *n.* 7. Gibal. *ubi ſup. pag.* 465. Similiter nec in excommunicationem incidit ille, qui Clericum percuſſit, cum aliter ſe defendere non poſſet, ut reſolvunt Sayrus, & Philiarcus relati a Gibal. *ubi ſup.* Similiter etiam in excommunicationem non incidunt, qui percutiunt Clericum habitu laicali incedentem, *c. ſi vero*, *de ſent. excom.* Nec qui Clericum quovis ordine inſignitum ratione officii, coercitioniſve intra modum ſine injuria verberant, aut percutiunt, argumento text. *in c. univerſitatis*, 24 *c. cum voluntate*, 54. §. *fin. de ſent. excom.* nec illi, qui ejiciunt excommunicatum ab Eccleſia, nec illi, qui ſe, ſuaque defendendo Clericum percutiunt, *c. ſi vero*, 3. *c. ex tenore* 10. *de ſent. excom.* Proſequuntur alios caſus, Diana, & Gibal. *ubi ſup.*

6 De abſolutione ab hac cenſura. Supereſt, ut de abſolutione hujus excommunicationis agamus. Et eam petendam eſſe a S. Pontifice perſonaliter, non per procuratorem, deciditur *in d. c. ſi quis ſuadente*, & aliis ſupra citatis. Poſtea tamen illi permiſſa fuit Legatis, juxta diſtinctionem traditam in hoc textu; & Epiſcopis certis in caſibus. Primo ſi percuſſio ſit levis, ex qua licet peccatum lethale daretur, mutilatio tamen levis ſecuta fuit, *c. pervenit*, 17. *de ſent. excomm. extrav. perlectis*, Joann. XXII. docent, & reſolvunt, quando levis percuſſio dicatur, Molina *de juſt. t.*4. *diſp.* 77. *n.* 1. Barb. *de poteſt. Epiſc. alleg.* 42. *n.* 1. Item ſi impuberes ſunt, qui manus violentas injecerunt, ab Epiſcopo, etiam poſt pubertatem, abſolvi valent, *c.* 1. *c. quamvis c. fin. de ſent. excom.* Similiter abſolvere poteſt Epiſcopus mulieres cujuſcumque conditionis, etiam ob enormem percuſſionem, cum periculum illis ſit peregre proficiſci, & ſe virorum cœtibus immiſcere, *c. mulieres*, *c. ea noſcitur*, præcipue ſi ſint moniales, *c. de monialibus*, *de ſent. excom.* Item abſolvere poſſunt ſervos, & filios familias, quando pater, & dominus percuſſioni non conſenſerunt, *d. c. mulieres*, *c. relatum*, 37. *de ſent. excom.* etiam infirmos valetudinarios, dum primo juramento promiſerint, quod priſtinæ ſaluti reſtituti, perſonaliter a Pontifice eam requirent, *c. quamdiu*, 26. *c. quamvis* 28. *de ſent. excomm.* Etiam ab Epiſcopo abſolvi poſſunt pauperes ita inopia laborantes, ut Romam adire non poſſint, *d. c. ea noſcitur*, *c. quamvis*. Clerici etiam unius collegii ſub eodem tecto degentes ab Epiſcopo abſolvi poſſunt, ſi percuſſio gravis non ſit, *c. quoniam*, 9. *de vita & hon. Cler.* imo ſi religioſi ejus cœnobii in hanc cenſuram inciderint, a proprio Prælato abſolvi valent, *c. Monachi*, 2. *c. cum illorum*, 32. *de ſent. excomm.* niſi percuſſio enormis ſit, *c. canonica*, *eod. tit.* Monachi autem, qui religioſum alterius Monaſterii, ſeu ordinis percuſſerint, debent abſolvi a proprio Prælato, indicta ſatisfactione coram Prælato ipſius percuſſi, *d. c. cum illorum*; & ſi Clericum ſæcularem percuſſerint leviter, ab Epiſcopo abſolvi debent, *cap. religioſi*, *eod. tit. l.*6. Hæc omnia procedunt regulariter, & jure communi attento: ſi vero periculum mortis immineat, quia tunc nulla datur reſervatio peccati, aut cenſuræ, quilibet abſolvi poterit a cenſura a quolibet Sacerdote, cum obligatione ſe ſiſtendi coram R. Pontifice, ſi convaluerit, *d. c. ea noſcitur*, *c. quod de his*, *de ſent. excom.* aut ſi alia privilegia habeant Religioſi, quibus ſtandum eſt. Etiam poſt Conc. Trid. *ſeſſ.*24. *de refor. c.*6. ſi percuſſio occulta fuit, & difficilis eſt aditus ad R. Pontificem, Epiſcopus poteſt abſolvere. Tandemque Bullam Cruciatam habentes, ejus virtute ſemel in vita; & ſi iterum in excommunicationem inciderint, aliam Bullam aſſumentes poſſunt abſolvi, ut docent Rodrig. *in Bullam*, §.11. *num.* 2. P. Mendo *eod. tr. diſp.* 24. *n.* 48.

Quibus ita præmiſſis, ratio hujus deciſionis ex eo provenit; nam cum ab excommunicatione ob percuſſionem Clerici illi abſolvere poſſint, quibus jure abſolutio permiſſa eſt; & Legato a Latere permiſſum ſit ab excommunicatione abſolvere, non a conſuetudine, ut exiſtimavit Speculator *tit. de Legato*, §. *ſupereſt*; ſed a jure ipſo, *in d. c. ad eminentiam*, *d. c. quoad tranſlationem*, ut docet Fragoſo: ideo quoſcumque excommunicatos ob dictam percuſſionem ubicumque abſolvere valent; quia illis ſine ulla Provinciæ taxatione hæc abſolvendi facultas data eſt. Unde deducitur a contrario, excommunicatos ob injectionem manuum in Epiſcopos, aut Cardinales, abſolvere non poſſe, quia hujuſmodi cenſura R. Pontifici tantum eſt reſervata, *c. felicis*, *de pœnis l.* 6. *Clem.*1. *eod. tit.* Similiter Legati miſſi, cum non æquali polleant dignitate ac Legati a Latere, tantum ſubditos ſuos abſolvere poſſunt, non aliunde venientes, ne legationis formam ſibi præfixam excedere videantur, *c. ſane*, *de privil.* Legati autem nati prædictos excommunicatos abſolvere nequeunt, quia illis conceſſum non eſt, ea ratione, ne contemneretur privilegium prædicti Canonis *ſi quis ſuadente*, cum eorum ſubditi Clericos percutientes facile pro abſolutione illos adire poſſint. 7 Ratio decidendi.

Nec obſtat difficultas ſupra adducta, cui facile ex ſupra traditis fit ſatis; nam licet in jure Pontificio reſervata ſit abſolutio excommunicationis ob injectionem manuum incurſæ R. Pontifici; tamen in eodem jure conceſſa eſt facultas abſolvendi Legatis a Latere, & natis, cum ſupra tradita diſtinctione: non tamen omnibus Legatis hæc facultas competit, quia eorum poteſtas æqualis non eſt, ut probavi *in c.* 1. *hoc tit.* Nec augmentum difficultatis refragatur; nam magnum diſcrimen verſatur inter facultatem excommunicandi, & poteſtatem abſolvendi in foro interno; quia ad excommunicationem infligendam neceſſaria eſt cauſæ cognitio, & judex pro tribunali ſedere debet, *c. ſi quem*, §. *ſi quis*, 2. *q.* 3. *c. induciæ*, 3. *qu.* 3. quæ alieno territorio obiri nequeunt, *c. Epiſcopum*, 9. *q.* 2. abſolutio autem, quæ in foro interno conceditur, neque cauſæ cognitionem, neque judicialem actum petit, unde Legatus ubicumque poteſt prædictos excommunicatos abſolvere; non autem extra Provinciam in alienos ſubditos excommunicationem proferre, ut docet Moneta *de commut. c.*5. *n.*237. 8 Diſſolvitur dubitandi ratio.

C A P U T X.

Idem.

NEmini dubium eſſe volumus, quin Legatorum Sed. Apoſt. *a* ſtatuta edita in Provincia ſibi commiſſa, durent tamquam perpetua, licet eamdem poſtmodum ſint egreſſi. Secus autem ſi cauſas duxerint *b* delegandas aliquibus, cum juriſdictio iſtorum expiret, ſi ante illorum diſceſſum horum *c* citatio non præceſſit.

NOTÆ.

1 a STatuta.) Legati enim ſtatuta facere poſſunt in ſua Provincia, ut alii, qui juriſdictionem ordinariam habent, de quibus egi *in c. cum Eccleſia*, *de conſtit.* & ſunt perpetua, quatenus ſuæ legationis juriſdictioni conveniunt, ut accipiunt præſentem textum Ciron. *ad hunc titul.* Suarez *de legibus l.* 1. *c.* 10. *numer.* 5. Tapia *tom.* 1. *catena mor. lib.* 4. *quæſt.* 5. *artic.* 1.

b *Delegandas*.) Legati enim poſſunt cauſas committere, & delegare, ut probavi *in c.* 3 *de off. deleg.*

c *Citatio*.) Juxta ea, quæ adduxi *in cap. gratum*, *de officio deleg.* ex cujus commentario hujus textus interpretatio petenda eſt.

TITU-

BIBLIOTECA CENTRAL